Diss. Leipzig 1883

P. Krumbholz

DE

ASIAE MINORIS SATRAPIS PERSICIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS KRUMBHOLZ

VIMARIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXIII.

ALFREDO DE GUTSCHMID

SACRUM.

Inde a Darii Hystaspis filii temporibus usque ad Alexandri Magni expeditionem cum semper fere aut magnas Graeciae civitates aut insularum incolas graecos Persis sive maioribus bellis sive minoribus inimicitiis adversari videamus non tam Persarum regis ipsius res aguntur quam regis vicariorum sive satraparum, qui in Asia minore imperium tenent. Qua de causa cum animi nostri iterum atque iterum ad satrapas illos vertantur, neminem fugere potest totum satraparum institutum nostra memoria dignum esse, sic ut iam inter Graecorum scriptores imprimis Xenophon quanti momenti singuli satrapae ad totius Persarum regni salutem essent recte intellexit. Neque enim negari potest satrapas quasi provinciarum regulos non solum singularum regni partium sed etiam totius regni fortunae saepe auctores fuisse, quorum praecipue opera factum est, ut aliquando tantopere florerent res persicae, ut Persae Graecis leges imponere possent, deinde ut adeo debilitarentur, ut Alexandri impetu totum imperium corrueret. — Quare satraparum res quamquam dignae sunt, in quas accuratius inquiratur, nemo tamen hucusque quantum scio, praeterquam quod nonnullis in libris ut fieri solet, leviter tantum tactae sunt, diligentius eis operam navavit[1]).

Si igitur nunc audeo viro doctissimo Gutschmidio auctore ad satraparum res pertractandas accedere, primum ut quasi fundamentum iaceat totius quaestionis Asiae minoris satraparum ordinem constituere conabor. Quare id imprimis quaeremus, quod nondum satis constat, quinam omnino fuerint in Asia minore satrapae, quod saepe propter significationum variationem

[1]) Adhuc plurima collecta sunt apud Sievers. Geschichte Griechenlands p. 348 sqq.

dubium est, simulque qua significatione aut quibus rebus singulos satrapas cognoscere possimus; deinde quod in enchiridiis nostris scriptorumque adnotationibus persaepe perperam notatum est, cuinam quisque praefuerit satrapiae constituendum est, quo simul quot quaeque omnino satrapiae fuerint apparebit, qua de re nunc mirae inveniuntur sententiae[1]). Tum quando primum quando ultimum uniuscuiusque nomen commemoratum inveniamus, quo quamdiu munus obtinuerit quam accuratissime definiamus, postremo quaenam eorum res gestae, quo teste traditae sint videamus. Quae ubi de Asiae minoris satrapiis effecta fuerint, restat ut item et ceterae persicae et Alexandri satrapiae pertractentur, quo facto singula quaerere licebit, velut quae rationes intercesserint inter satrapas et regem et singulas satrapiae partes, de satrapis exercituum praefectis, iudicibus, provinciarum administratoribus; de satrapiis hereditariis, de satraparum praetoribus nummis, de compluribus aliis. Quibus rebus satis perquisitis nos non nihil in rebus persicis atque graecis cognoscendis progressos fore, cum persuasum habeam, eis quae iam sequuntur tota quaestio ut initium habeat idoneum ex animo opto.

I.

De tabula gentium atque tributorum Herodotea.

Dubium esse non potest, quin ei, qui ab initio persicorum satraparum res pertractaturus est, proficiscendum sit a tabula illa gentium atque tributorum, quam apud Herodotum (III 90—94) legimus. Notum enim est hoc loco Herodotum, ubi quomodo Darius rerum potitus esset narravit, mulierum quas rex regnum adeptus in matrimonium duxit, nomina indicavit, monumenti illius, quod ut posteros regni sui initii commoneret

---

[1]) Magnopere his in rebus Heerenium (Ideen I³ 1 p. 181 sqq.) errasse iam Sievers recte cognovit (p. 350, 14), sed ne ipse quidem viam rectam qua aliquid certi efficeret ingressus est (cf. p. 350, 12). Postea hae quaestiones omnino neglectae sunt.

erexit, mentionem fecit ita pergere: *ποιήσας δὲ ταῦτα ἐν Πέρσῃσι*[1]) *ἀρχὰς κατεστήσατο εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηίας* (III 89). Quae verba sequuntur capita illa, quibus viginti *νομοί* enumerantur, quorum uniuscuiusque gentes atque tributa regi quotannis solvenda commemorantur. Qua in tabula cum Herodotus semper vocabulo *νομός* utatur, utrum satrapiarum indicem hic traderet an esset tabula quaedam regionum ad tributa facilius exigenda definitarum saepe dubitatum est[2]).

Quarum sententiarum utra probanda sit, priusquam anquiramus, videamus num pateat Herodotum ipsum satrapiarum indicem hoc loco tradere voluisse. — Nemo igitur perlegens III 89 non videt viginti illas *ἀρχὰς τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπηίας* easdem esse regni Persarum partes, quas in sequentibus capitibus Herodotus enumerat. Qua de re eo minus poterit dubitari, quod Herodotus initio capitis XCVII (*αὗται μὲν ἀρχαί τε ἦσαν καὶ φόρων ἐπιτάξιες*) cum ad capitis octogesimi noni verba respiciat, ubi vocabulis *ἀρχή* atque *σατραπηίη* idem significari dixit, plane *νομούς* in capitibus XC—XCIV enumeratos satrapias esse docet. Iam quod Herodotus ne uno quidem verbo has duas variasque esse regni divisiones dicit, nonne hac re apud eum scriptorem, qui non presso vel obscuro dicendi genere utitur, commovemur, ut unam eandemque regni divisionem intelligendam esse existimemus?

Herodotus igitur ipse cum sine dubio hoc loco satrapiarum tabulam tradere voluerit, iam quaerimus quanam re adducti viri docti hanc regni divisionem solum ad tributa

---

[1]) Non adsentior Baehrio ad l. l. et Posseldtio (quae Asiae min. orae occid. sub Dar. Hyst. f. f. conditio. Regim. 1879 p. 67 n. 305 cf. p. 97), qui coniungunt verba *ποιήσας δὲ ταῦτα ἐν Πέρσῃσι*; nam cum verba *π. δ. τ.* ad Darii coniugia atque monumentum ab eo positum pertinere manifestum sit, verba *ἐν Πέρσῃσι* (i. e. in regno Persarum) ad superiora relata supervacanea sunt, at verba *ἀρχὰς κατεστήσατο εἴκοσι* eius modi additamentum quasi requirunt, praesertim si *αὐτοί* pronomen quod sequitur quodque ad vocabulum *Πέρσῃσι* referendum est, spectas.

[2]) cf. Lassen, pers. Keilinschr. Bonn 1836 p. 64. Stein. ad Her. III 89. M. Büdinger, Sitz.-Ber. d. Wien. Akad. 1880. Phil.-hist. Kl. LXXXXVI p. 488.

exigenda, non regni administrandi causa factam esse putaverint, quamquam Xen. oec. IV 11 planis verbis dicit satrapis ut tributa exigerent mandatum fuisse. — Ac primum quidem id argumentum commemorandum est, quod quamquam iam Heerenius (Id. I 1 p. 174 sq.) refutavit, tamen etiam nostrae aetatis viri docti repetiverunt. Cum enim neminem fugere posset Herodoteam regni divisionem non esse eandem, quam posterioribus temporibus invenimus, inde non id, quod exspectamus viri docti concluserunt, Darii divisionem illam postea mutatam esse, sed Herodoti regni partes satrapias omnino non esse sibi persuaserunt. Quae sententia quam absurda sit, cum Heerenius satis demonstraverit, denuo iam refutari opus non est; quod sequentium saeculorum satrapiae non semper cum regni partibus Herodoteis congruunt, inde nequaquam Herodotum Darii satrapias non tradere elucet.

Qua eadem de causa nullius momenti sunt ea, quae Steinius (ad Her. III 89) affert; profert enim duos Herodoti locos (VII 64, IX 113), e quibus Xerxis temporibus Sacas Bactriosque in eadem satrapia fuisse concludit, cum in tabula illa Herodoti libri tertii Sacae in nomo XV Bactrii in nomo XII commemorentur. Quod num multis Steinius probaturus sit equidem valde dubito. Nam cum Herodotus altero loco (IX 113), ubi res a Masista gestas tradidit dicat: *ἐπορεύετο ἐς Βάκτρα . . . . . ὡς ἀποστήσων νομὸν τὸν Βάκτριον καὶ ποιήσων τὰ μέγιστα κακῶν βασιλέα · τά περ ἂν καὶ ἐγένετο ὡς ἐμοὶ δοκέειν, εἴ περ ἔφθη ἀναβὰς ἐς τοὺς Βακτρίους καὶ τοὺς Σάκας. καὶ γὰρ ἔστεργόν μιν καὶ ἦν ὕπαρχος τῶν Βακτρίων*, e verbis *ἐς τοὺς Βακτρίους καὶ τοὺς Σάκας* Steinius concludit has duas gentes unius fuisse satrapiae. Quo argumento Steinius nemini persuadebit, praesertim cum Masistam Bactriorum solum non Sacarum quoque satrapam fuisse e verbis *ὕπαρχος*[1]) *τῶν*

[1]) Vix quisquam dubitabit, quin saepissime apud Herodotum *ὕπαρχος* idem sit ac *σατράπης*. Nam cum Herodotus, qui ut Thucydides vocabulum *σατράπης* nunquam adhibet, verbo graeco illius loco uti debeat, demonstratur multis illis locis, ubi Artaphrenes *Σαρδίων ὕπαρχος* appellatur (Her. V 25. 73. 123. VI 1. 42), quibus verbis nihil nisi Lydiae satrapa significari

Βακτρίων satis manifestum sit. Neque vero altero loco (VII 64) quem Steinius adhibet, Bactrios et Sacas uni satrapae subiectos fuisse demonstratur. Quo loco cum gentes, quas Xerxes adversus Graecos duxit eorumque arma ducesque describantur, Bactrios Sacasque coniunctos uno Hystaspe Darii filio duce ex Asia profectos esse audimus. Quare Steinius miro modo illas duas gentes unam effecisse satrapiam dicit nullo iure, quasi in hoc agmine semper singularum satrapiarum gentes coniunctae essent. An non si Steinii rationem sequeremur, etiam Paphlagones Matienique Armenii Phrygesque, qui illo loco coniuncti ceterum autem ne confines quidem sunt, eisdem satrapiis adscripti fuisse nobis putandi essent, quamquam nullo Persarum tempore has gentes coniunctas invenimus?

Omnino enim si tabulas illas Herodoteas libri tertii et

---

potest, quod quantum scio nemo adhuc negavit. Praeterea Oroetes *Σαρδίων ὕπαρχος* appellatur (III 120), qui *νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λύδιον καὶ Ἰωνικὸν* (III 127) regit quique, ut ex compluribus exemplis unum afferam a Diodoro (X 15, 4) *σατράπης* appellatur. Idem docent Her. III 126: *Μιτροβάτης ὁ ἐκ Δασκυλείου ὕπαρχος* et III 120: *νομοῦ ἄρχων τοῦ ἐν Δασκυλείῳ*, quos locos conferas cum Thuc. I 129 (*Δασκυλῖτις σατραπεία*). Imprimis autem id commemoratione dignum est Sardes et Dascylium aliis quoque e locis satraparum capita fuisse notum esse (cf. Xen. Hell. IV 1, 15. Thuc. I 115, 4. Diod. XII 27), quare harum urbium *ὕπαρχοι* sine dubio satrapae fuerunt. Item *ὕπαρχος* est *σατράπης*: Her. III 70 (*Ὑστάσπης Περσέων ὕπαρχος*), IV 166 (*Ἀρυάνδης τῆς Αἰγύπτου ὕπαρχος*. cf. Polyaen. VII 11, 7: *Ὀρύανδρος ὁ σατράπης*. A. v. Gutschmid, de Aeg. ap. Polyaen. obv. Philol. XI p. 146. Steph. Byz. s. v. *Βλέμυες*), VI 33 (*Οἰβάρης ὁ ἐν Δασκυλείῳ ὕπαρχος*), VII 26 (*ὃς μὲν νῦν τῶν ὑπάρχων κτλ.*), IX 116 (*τούτου τοῦ νομοῦ ὕπαρχος Ἀρταΰκτης*. cf. U. Koehler, Urk. u. Unters. z. Gesch. d. del.-att. Bund.: Abh. d. Berl. Akad. 1869 II p. 88. Kaegi, krit. Gesch. d. spart. Staat. Jahrb. Suppl. VI p. 459 n. 3). — Negare non possumus compluries aliter quoque vocabulum adhiberi ab Herodoto: V 27: *Λυκάρητος Λημνίων ὕπαρχος*; VII 105: *Μασκάμης ὕπαρχος ἐν τῷ Δορίσκῳ*; VII 194: *ὁ ἀπὸ Κύμης τῆς Αἰολίδος ὕπαρχος Σανδώκης*; V 20: *Μακεδόνων ὕπαρχος*; VII 6: *τῆς Ἑλλάδος ὕπαρχος*. Semper autem apud Herodotum *ὕπαρχος* summus alicuius regionis magistratus est, cum Thucydides contra nunquam pro satrapa verbum *ὕπαρχος* adhibeat, sed compluries satraparum praetores, ut ita dicam, sic significet: cf. Thuc. VIII 16, 3. 31, 2. 87, 1. 108, 4.

septimi comparamus, non his solum in gentibus eas non congruere videmus, sed variis modis illas exercitus partes ordinatas fuisse, ita ut non solum non cogamur putare satrapias Darii usque ad illud tempus mutatas esse sed etiam mihi verisimillimum sit easdem fere Xerxis tempore fuisse. — Primum enim si nihil obstabat, totius satrapiae copiis unus dux praefectus est, quod factum est in satrapia sexta — nam Aegyptii qui in classe erant in exercitu desunt (Her. VII 71), — septima — cum Sattagydae atque Aparytae in exercitus tabula nostra omittantur (Her. VII 66) —, octava (Her. VII 62), nona (Her. VII. 63), undecima (cf. Stein. ad Her. VII 62. Duncker, Gesch. d. Altth. IV[5] p. 541). — Porro si satrapiarum copiae maiores erant, quam quae uni duci traderentur, inter complures duces divisae sunt, quod est factum in secunda, tertia, decima, decima quarta, decima sexta, undevicesima. — Praeterea autem ubi complurium satrapiarum gentes sub uno duce coactae sunt, non difficile est intellectu, quanam ratione copulatae fuerint. Nam Armenii Phrygesque uni duci subditi erant, quia hae gentes cognatae eodemque modo armatae erant (Her. VII 73. cf. Pauly, Realenc. V p. 1569); quia paribus armis utebantur Matieni Paphlagonesque (VII 72) atque Aethiopes et Indi (VII 70) coniuncti erant, quorum alteri praeterea confines erant; qua eadem de causa Bactrii et Sacae (VII 64), Milyae et Lasonii (VII 77), Mares Colchique compositi erant (VII 79), cum Sagartiorum *ἔθνος Περσικόν* Persarum exercitui insereretur (VII 85). Itaque cum satis manifestum esse putem, quae ratio in exercitu ordinando adhibita sit, id mihi dubium non est, quin quia duae gentes in una exercitus parte inveniantur, easdem in una quoque satrapia fuisse existimare non liceat.

Neque magis quam hoc Steinii argumentum alterum quod affert ipse vel ea, quae Lassenius (pers. Ki. p. 64) dicit, sufficiunt, ut iure de Herodoti tabula satrapiarum dubitemus. Lassenius igitur, quamquam illa in tabula gentes coniunctas inveniri dicit, quae unius satrapiae esse non potuerint, certas causas, quibus haec probaret non protulit. Si autem propter sedes situmque gentium dubitat, cum Lassenium, quia com-

pluria nomina inscriptionibus cuneatis incisa perperam aut legit aut interpretatus est, saepius gentibus sedes alienas tribuisse notum sit, nobis hoc argumentum nihil potest valere, cum in gentium sedibus nihil obstare sciamus ne eas, quae ab Herodoto coniunguntur, coniunctas fuisse putemus[1]) (cf. Stein. ad Her. III 89, 5. Droysen. Gesch. d. Hellen I² p. 50). — Sin autem eadem causa, qua Steinius commotus Lassenius apud Herodotum satrapias enumerari negat, quia in compluribus *νομοῖς* maiores gentes sint, quam quae uni satrapae creditae fuisse existimandae sint, id quoque viris doctis concedere nequeo. Nam cum constet ne posteris quidem temporibus satrapias fere eiusdem omnes amplitudinis, sed semper fines earum maxime vario ambitu fuisse (vide ea, quae infra afferimus de Cyri Tissaphernis Pharnabazi satrapiis), quo iure ullum Herodoti nomum maiores gentes amplecti, quam ut uni satrapae subiectas fuisse putemus, existimabimus, nisi aliquantum magnitudine omnibus aliis satrapiis una praestat? Unum autem imprimis commemoro. Steinius enim cum exemplo utatur nomo decimo sexto, cuius fuerunt Parthi Chorasmii Arii Sogdiani secundum Herodotum, has tantas gentes uni viro paruisse negat. Si autem confers huius provinciae magnitudinem et magnitudinem tributorum, quae ex ea regi redibant — scilicet trecenta talenta —, ea minima esse vides, cum decimus septimus nomus multo minor quadringenta, Bactrianorum sive duodecimus nomus trecenta sexaginta talenta pensitaret. Videmus igitur, quamquam perampli erant illius nomi fines, tamen sive non omnes regionis partes Persarum imperio subiectae erant sive terra minus fertilis erat (cf. Heeren Id. I 1 p. 338. Duncker, G. d. A. IV⁵ p. 8 sq.), potestatem harum gen-

---

[1]) Quomodo singulae satrapiae constitutae, qua ratione gentes in satrapiis copulatae sint, Herodotus ipse (III 89) exponit eo loco, quem Steinium recte interpretari puto cum dicit: „Darius ging bei der Eintheilung von 20 Hauptvölkern als Centralkörpern der zu bildenden Bezirke aus und vereinigte mit ihnen die je nächst benachbarten; was aber die weiter abwohnenden betraf, so ordnete er sie je nach Verhältniss dieser oder jener Hauptgruppe zu, in deren Nähe sie lagen.“ Aliam Heerenii (Id. I 1 p. 174 n.) sententiam recte refutavit Steinius l. l.

tium satrapae nimiam non fuisse. Nam talium provinciarum satrapae cum magnas opes non possiderent, Persarum regi periculosi fieri non potuerunt. Ceterum cum Herodotus ipse (I 192) nomum nonum sive Babyloniae potentissimum eundemque tamen uni satrapae subditum fuisse planis verbis eloquatur, cur de nomo decimo sexto aut alio quodam dubitemus, causa omnino non est.

Levissima autem non solum sed etiam valde miranda ea sunt, quae Lassenius de nomis qui dicuntur dicit, quae quod Ritterus (Erdkunde VI 1 p. 85) et Steinius (ad Her. III 89) acceperunt, summopere miror. Cum enim persuasum habeat, praeter satrapias regem, ut tributa facilius exigerentur, has Herodoti regiones instituisse, eas ita divisas esse existimat, ut tot gentes singulis nomis cogerentur, ut pecuniae ab eis pensitandae certam solidamque efficerent summam. Quis autem est qui putet regis Persarum interfuisse vectigalium summas, quae in aerarium regium e singulis regionibus redibant, esse solidas? Profecto hoc si optabatr ex, facile tributorum summas solidas reddere ei licuit neque vero ut id efficeret, gentes magno cum labore conquirere necesse fuit. Nonne autem si Lassenii sententiam probaremus, mirabile esset, quod tamen gentes confines semper in Herodoti tabula videmus uno in nomo cogi potuisse? quod omnino regnum bis divisum est, quod cur factum sit, nullo modo intelligere possumus? (cf. Heeren. Id. I 1 p. 174).

Quoniam demonstrasse mihi videor et Herodotum ipsum satrapiarum tabulam tradere velle nec viros doctos quidquam de tabula attulisse, cur satrapias a nomis Herodoti non diversas esse negemus, sequitur ut videamus, num Lassenii sententiae (altp. Ki. p. 63), quam deinde Ritterus (Erdk. VI 1 p. 111), Maspero (Geschichte der morgenländ. Völker, übers. v. Pietschmann p. 537), Iusti (d. alte Persien p. 57 sq.) probaverunt, assentiri possimus, qui primam regni divisionem non ab Herodoto sed in inscriptione illa cuneata, quam in monte qui Behistan appellatur legimus, servatam esse atque Herodotum unam tributorum tabulam praebere putant.

Primum autem notum est non solum Herodoti tabulam

et inscriptiones illas tres persicas, in quibus gentes Persis subiectae enumeratae sunt, numeris nominum differre [1]) sed etiam inscriptiones cuneatas ipsas hac in re discrepare. Nam cum Herodotus in satrapiarum catalogo duodeseptuaginta nomina praebeat [2]), inscriptionum prima (Behistana) viginti tres,

---

[1]) Conferas Herm. vol. VI p. 456 sq. ubi Matzatius ea nomina, quae in Herodoti tabula atque in inscriptionibus illis inveniuntur contulit; cui tamen collationi in nonnullis assentiri dubito, imprimis de Çparda nomine atque undecimae satrapiae nominum interpretatione. De nomine Çparda cf. Spiegel, Eran. Alterthumskunde I p. 216, ubi varias virorum doctorum sententias invenies. Qui partim hoc Çparda comparaverunt cum Separad (Obadja 20: de Sacy et Burnouf), partim eandem esse gentem probaverunt atque Herodoti *Σάσπειρες* (Ritter et Lassen), Spiegelius ipse de Armeniae parte, quae Sper sive Ispir vocatur, alii etiam de Sparta cogitant; contra Matzatius putat hoc nomine *τοὺς ἐν τῇ Εὐρώπῃ μέχρι Θεσσαλίας οἰκημένους* (cf. Her. III 96) significari. Mihi persuasum est Lassenium verum vidisse, quod Çparda cum nomine Sardium comparat atque sic Lydiam vocari censet, quam sententiam Steinius quoque iure ita probavit, ut argumenta, quibus ea fulcitur afferret (ad Her. III 120. cf. Maspero p. 538. Oppert, journ. Asiat. IV 17. 1851 p. 279. Ph. Keiper: Philol. Rundschau I 1881 p. 428). — Item Matzatium non sequor, quod satrapiae undecimae gentes pro Arachosia nominatas esse dicit, sed hac quoque in re Steinius (ad Her. III 92) me asseclam habet, qui has gentes Hyrcaniae esse existimat. Neque maiore probabilitate Kiepertus (alte Geogr. p. 61, 1) verbum *Ἀπαρύται* ex Arachosiae nomine corruptum esse suspicatur, quia cum in exercitus quoque tabula et *Ἀραχῶτες* et *Ἀπαρύται* desint, Herodotus Arachosiae nomen omnino nondum novit.

[2]) Hoc loco pauca dicam de discrepantiis, quae inter Herodoti tabulas libri tertii atque septimi intersunt. De satrapiae undecimae gentibus si Steinii (ad Her. III 92) sententiam probamus, omnium earum gentium, quae in Xerxis exercitu commemorantur, soli Dores (VII 93) et Ligyes (VII 72) in satrapiarum tabula omittuntur; quorum Dores Posseldtius p. 49 recte intellexit Caribus adscriptos fuisse, Ligyes quod desunt propter huius gentis exiguitatem non miramur. At plura nomina, quae in tertii libri tabula legimus, in Xerxis exercitu desunt. Non refero huc nomen *Ὑτέννεες*, quod III 90 legimus; nam cum in exercitus tabula deesse videatur, puto libri septimi capitum septuagesimi sexti et septimi initia perdita (cf. Stein. ad l. l.) una sanari, si verba capitis septuagesimi septimi, quibus offendimur, *Λασόνιοι δὲ καλεύμενοι*, inde transferimus in initium capitis septuagesimi sexti eaque corrupta esse putamus e verbis *Λασόνιοι δὲ καὶ Αὐτέννεες* (ut cod. R apud Steinium III 90) sive *Ὑγέννεες* (ut alii codices legunt) sive *Ὑτέννεες* (quod Steinius III 90 primum scripsit).

secunda (Persepolitana) viginti quattuor, tertia (Nakshi-Rustamiana) triginta nomina exhibet (cf. Maspero p. 538 n. 1) quae Lassenius et qui eum secuti sunt singularum satrapiarum esse putare coacti sunt. Quae numerorum discrepantiae non solum ea ex re eveniunt, quod in posterioribus inscriptionibus compluria nomina accedunt, sed et alia accedunt et alia omitti videntur (cf. Spiegel, Eran. Alterthk. I p. 221—224). Quod igitur in inscriptionum altera atque tertia nomina, quae in prima non legimus, invenimus, cum has gentes tum primum Persarum regno adiectas esse putare liceat, non miramur: huc pertinent in inscriptione Persepolitana nomina Indorum atque Sagartiorum, in inscriptione Darii sepulcri Indi, Çkudra, Putiya, Kusiyâ, Maciyà, Karkà, Çakà tripartiti, cum in prioribus inscriptionibus Çakâ[1]) semel modo commemorentur. Sed offendimur ea re, quod in inscriptione Persepolitana una nominantur Açagarta (*Σαγάρτιοι*), desunt in eadem Parça, in Nakshi-Rustamiana Maka. De Maka igitur nomine iam alii recte iudicaverunt nihil aliud esse ac Maciyà tertiae inscriptionis. (cf. Matzat. p.

Simili ratione ductus Valkenaerius, cum nomen *Ὑτέννεες* alias nusquam legatur, apud Her. III 90 secundum nostrum locum (VII 77) *Λασονίων τῶν καὶ Καβηλέων καλευμένων* scribere voluit (cf. Stein. vindiciae Herodoteae p. 12). — Quod neque Cyrene Barceque neque Magnetes in agminis tabula commemorantur minimi momenti est, cum non tam quod hic desunt, quam quod III 90. 91 praeter Libyam Ioniamque nominantur mirum sit. (Non probo Posseldtii sententiam, qui Magnesiam ad Sipylum sitam intelligit, cum et quae de huius urbis origine dicit, maxime dubia sint (cf. Kiepert, alte Geogr. p. 114, 2) et Herodotus omnibus locis ubi Magnesia Asiatica nominatur — I 161, III 122. 125 — eam urbem quae *ὑπὲρ Μαιάνδρου ποταμοῦ* sita erat, intelligat, ut si hoc loco aliam urbem nominare voluit, id aperte dicturus fuisse putandus sit). Alias quattuor gentes, quas in agminis tabula desideramus, Sattagydas Aparytas Orthocorybantios Thamanaeos, quae omnes ex Herodoto uno nobis notae sunt, nisi quod Sattagydae in tribus inscriptionibus cuneatis commemorantur (Lassen altp. Ki. p. 108 sqq.), non falso suspicabimur propter exiguitatem in tabula nostra neglectas esse. Quod denique Paricanii, qui in satrapiarum tabula bis (III 92. 94) occurrunt, in exercitu semel leguntur (VII 68 cf. c. 86), aut decimae satrapiae Paricanios Medorum duci additos aut apud Her. VII 68 et decimae et decimae octavae satrapiae Paricanios intellectos esse existimo.

[1]) De huius nominis usu cf. Ed. Meyer, das Königreich Pontos p. 23.

457.) — De duabus aliis gentibus fortasse suspicari liceat una in inscriptione Persepolitana, ubi Persae desunt, partem esse nominatam nescio qua de causa pro toto, pro Persis Sagartios, quos fuisse *ἔθνος Περσικόν* Her. VII 85 plane dicit. — Itaque ex inscriptionum discrepantiis nequaquam concludere possumus non fuisse certas regni partes in eis nominatas.

Sed aliis de causis in titulis satrapiarum catalogum servatum esse nego, quae sententia omnino argumentis non fulcitur. Quis autem est, qui nisi validissimis argumentis commovetur, hic Herodotum errasse putet, cum ne illud quidem dubium esse possit, quin Herodotus primam regni distributionem tradere voluerit, quod et ex toto sententiarum conexu illius loci saepe laudati (III 89 sqq.) colligitur, et ea re probatur, quod compluries (Her. III 96. 97) ipse posteriora tempora illis primae satrapiarum institutionis temporibus opponit? Quid autem? quo iure satrapias ibi inveniri putant viri docti, ubi satrapias enumerari nequaquam dicitur? Nam hoc vocabulo, quod semper in inscriptionibus cuneatis legimus, dahyâus, non significari satrapiam facile cognoscere potes. (cf. Oppert, journ. Asiat. IV 17. 1851. p. 276. Stein. ad Her. III 89. K. Geldner, Studien zum Avesta. Strassburg 1882. I p. 13 n. 2.)

Neque illud premo, quod in omnibus inscriptionibus Arabiam legimus, cuius terrae incolas nunquam Persis subiectos, sed socios modo fuisse memineris (Her. III 88 cf. c. 97), cum iam Rawlinsonius hoc vocabulo non paeninsulae Arabiae incolas, sed eos Arabes significari suspicatus sit, qui in Mesopotamia sedebant [1]). (cf. Spiegel, Eran. Alterthk. I p. 216.) Item non affero pro argumento, quod Cilicia, quam iam Darii temporibus satrapiam fuisse videbimus, in titulis persicis non nominatur, quia fuerunt, qui in titulorum Karikà Ciliciae nomen invenerint. (cf. J. Halévy, Mélanges d'épigraphie et d'archéologie sémitiques. Paris 1874 p. 68 sq.) — Sed, si in inscriptionibus satrapiae enumerarentur, quod Scytharum satrapia nominata esset (cf. Matzat. p. 458), iure nostro offenderemur.

---

[1]) Matzat p. 456 Arabiae paeninsulae incolas ab Herodoto intellectos esse censet.

Nam in titulis tales quoque gentes nominatas fuisse, quibuscum rex aut bellaverat aut foedera icerat, facilius intelligemus, si non regni partes administrationis causa factas in titulis enumeratas esse putamus, sed nonnullas terras subiectas electas esse, quas rex ut nostri quoque temporis principes in titulis facere solent, nomini suo subiungeret. — Postremo autem quonam loco unquam insularum graecarum satrapa commemoratur, ut in inscriptionibus Yaunà tyaiy darayahyà (cf. Spiegel, Eran. Alterthk. I p. 216) nominantur?

Videmus igitur inscriptiones cuneatas non esse eas, quibus certa regni persici divisio tradatur, ut Baehrio (ad Her. III 89) adsentiar, qui eas ad regis summi potentiam declarandam et celebrandam scriptas esse vidit neque aliud quidquam spectare; quare non est causa, cur dubitemus, quin in Herodoti libro tertio revera prima satrapiarum divisio tradita sit. (Grote, Gesch. Griechlds. übers. II p. 495.) Has autem viginti Darii satrapias Xerxis quoque tempore numeratas esse, docemur imaginibus, quas conspicimus in Xerxis aedificio quodam (cf. Duncker IV [5] p. 582 sq.).

Darii satrapiarum constitutio quonam tempore facta sit, accurate definire non possumus. Nam cum Herodotus (III 89) existimare videatur Darium statim ubi rerum potitus est regnum distribuisse, viri docti dissentiunt, utrum Darius hanc rem gravissimam novaverit, priusquam seditiones illae, de quibus cum Herodotus taceat, per Darium ipsum certiores facti sumus, exortae sunt an post seditiones illas feliciter compositas. Ante seditiones illas satrapias esse institutas unus videtur Spiegelius (Alterthk. III p. 629. II p. 329) existimare. Qui hoc potissimum argumento utitur quod iam in inscriptione Behistana in seditionibus satrapae commemorantur [1]). At Spiegelius ipse commemorat apud rerum persicarum scriptores etiam ante Darium satrapas nominari (II p. 328). Eorum autem locorum, ubi Herodotus ante Darium satraparum mentionem facit, Spiegelius l. l. duos modo affert, ubi Oroetes *Σαρδίων ὕπαρχος* et

---

[1]) Beh. III 13 sq.: Dadarshis Bactriae satrapa. III 54 sq.: Vivâna Arachosiae satrapa. II 93 sq.: Vistâçpa ut videtur Parthiae satrapa.

Aryandes *τῆς Αἰγύπτου ὕπαρχος* nominantur, quos non tam satrapas quam duces copiarum a regibus in terris domitis relictarum fuisse censet [1]. At Oroetem et Aryandem satrapas fuisse iam supra (cf. p. 4 sq.) demonstrare conatus sum attulique Herodoti de utroque testimonia, quae eos non solum copiarum duces, sed provinciarum praefectos id est satrapas fuisse docent. Item praeter hos locos a Spiegelio allatos eis quoque Herodoti locis, quos Steinius ad Her. III 89 collegit, satrapae quin intelligendi sint non dubito; quo pertinent: Tabalus, cui *τὰς Σάρδις* Cyrus Croeso devicto commisit (I 153), ubi vocabulum *Σάρδις* pro Çparda i. e. Lydia dictum est; tum Hystaspes Darii pater, quem *Περσέων ὕπαρχον* fuisse III 70 dicit; denique *Μιτροβάτης ὁ ἐκ Δασκυλείου ὕπαρχος* (III 126), quem satrapam fuisse item iam supra demonstrabam. Quoniam igitur ante Darium Herodotus satrapas commemorat, eorum quos apud alios scriptores invenimus, nonnullos afferre satis habeo: Spitacem Spitamae filium eiusque fratrem Megabernem nominat Ctes. Pers. 8, quos Cyrus ante mortem satrapas Derbicarum atque Barcaniorum fecit; idem (Pers. 9) Combapheum Aegyptiorum regis Amyrtaei eunuchum, ubi dominum Cambysi prodidit, *ὕπαρχον Αἰγύπτου* fieri tradit. Praeterea de minore Cyri filio Tanyoxarca cf. Ctes. Pers. 8; Xen. Cyrop. VIII 7, 11; de Astyage: Ctes. ap. Tzetz. chil. I 1, 82 sqq. Alia mitto cum sufficiat demonstrasse et Herodotum et alios scriptores putasse iam priusquam Darius regnum divisit, satrapas fuisse. — Itaque quod in inscriptione Behistana iam seditionum temporibus satrapae commemorantur, inde nequaquam colligendum esse apparet ante seditiones illam Darii institutionem, de qua Her. III 89 dicit, ponendam esse.

Sed ne Spiegelii sententiam probemus, alia causa prohibemur. Notum enim est in Herodoti tabula, quam satrapias continere vidimus, Indos quoque memorari (III 94), quo hos quoque ante Darii divisionem subactos esse probatur. Quis

---

[1]) Miro modo Spiegelius ipse secum pugnat; nam cum II p. 328 n. Aryandem satrapam fuisse neget, II p. 353 de Aryande Aegypti satrapa dicit.

autem est, qui sibi persuadere possit Indos prius esse subiectos, quam seditiones quibus totum Persarum imperium vexabatur, sedatae sunt? ne Spiegelius quidem Indos non ante seditiones compositas subici potuisse negat (cf. II p. 331). Itaque dubitare non licet quin non prius Darius regnum in viginti illas satrapias Herodoteas diviserit, quam provinciae omnes pacatae sunt.

Quomodo quamquam terminum effecimus, post quem satrapias institutas esse necesse est, accuratius tamen eum definire vix possumus. Nam Herodotus cum ut iam supra dixi, de his seditionibus nihil nobis tradiderit, ut una inscriptione Behistana de eis edoceamur, hac in inscriptione quod in seditionibus narrandis Darius menses solos neque vero annos, quibus res gestae essent significavit, iam saepe viri docti mirati sunt. Quare fieri potuit, ut ex iis qui de huius inscriptionis chronologia diligentius egerunt, Floiglius (Cyrus und Herodot. Leipz. 1881 p. 159 sqq.) omnes seditiones initio anni a. C. n. 514 sedatas fuisse putaret, Oppertus (Records of the Past: Behistun Inscription VII p. 85—110. cf. Floigl. l. l.) hoc non ante initium anni 512 factum esse existimaret. Quae omnia cum tam incerta sint, ut facile etiam aliter de seditionum diuturnitate iudicare possimus — scio fuisse quosdam viros doctos, qui uno anno omnes has seditiones pacatas fuisse censuerunt — mihi non est in animo hanc rem accuratius pertractare, praesertim cum id quoque incertum manere necesse sit, quoto post seditiones compositas anno Indi a Dario subiecti sint. — Terminum ante quem Darius satrapias instituit ex Her. III 96 accipimus, ubi legimus: *προιόντος μέντοι τοῦ χρόνου καὶ ἀπὸ νήσων προσήιε ἄλλος φόρος καὶ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ μέχρι Θεσσαλίης οἰκημένων*, quibus ex verbis cognoscimus satrapias esse institutas, priusquam Darius bellum adversus Scythas suscepit, quo confecto Persarum duces in Europa pugnare coeperunt et Europae partem in Persarum regnum redegerunt. Quod bellum quo anno gestum sit cum non satis constet, plerique tamen viri docti non multo post annum 515 bellatum esse consentiunt (Baehr. exc. ad. Her. IV 1: vol. II p. 710 sqq. Duncker IV[5] p. 498. Clinton fasti Hellenici ed. Krüger. p. 326. Grote II[2] p. 515 n.).

Quare viri docti satrapias circa annum 516 aut 515 institutas esse putaverunt (Baehr ad Her. III 89. Duncker IV^5 p. 540. Posseldt p. 67. H. Droysen: Zeitschrift f. Numismatik II 1875 p. 309), quam sententiam nisi propter Oppertii et Floiglii rationes incertissimas falsam esse putabis, ne nimis a veritate abhorreat non timebis.

Postremo si quaerimus, cum iam ante Darium satrapias inveniamus, qua re ipse satrapiarum institutione ab Herodoto commemorata tam bene meritus sit, varia viri docti hac de re attulerunt. (cf. Heeren Id. I 1 p. 435 sqq. Duncker IV^5 p. 540. Maspero p. 517. 537 Stein ad Her. I 134, 14. Posseldt p. 48 sq.). — Cum igitur reges, qui ante Darium regnum persicum obtinuerant, gentium subiectarum principes, si Persis se parituros esse polliciti erant in imperio reliquissent (Maspero p. 517), satrapas autem modo certis de causis in eas regiones misissent, ubi haec imperandi ratio necessaria esse videbatur (Duncker l. l.), Darius primus totum imperium in viginti regiones divisit, quarum unicuique paucis terris exceptis (cf. Stein. ad Her. III 90) satrapam praefecit. Simul autem primus satrapis certas tributorum summas solvendas imperavit, cum Cyro et Cambyse regnantibus de his nihil constitutum esset, sed singulae gentes regi dona misissent (Her. III 89). Dum autem viginti satrapis omnes gentes tribuit, effecit ne in nimis multorum manibus regni imperium esset neve rex ipse impediretur, quominus singulos satrapas observare posset. —

Totum Persarum imperium iterum ab ullo Persarum rege simili modo divisum esse nusquam comperimus; sed quantum nos quidem cognoscimus, sequentibus temporibus nil fere mutatum est[1]).

---

[1]) Satrapiarum tabula Herodotea, quin ex actis publicis hausta sit nemo quantum scio nunc dubitat (cf. Ritter, Erdk. I 1 p. 85. Heeren, Id. I 1 p. 173 sq. Nitzsch, Herodots Quellen für die Perserkriege. Rhein. Mus. XXVII 1872 p. 234. Matzat, Herm. VI p. 455 sqq.). Non ex Hecataei opere Herodotum eam sumpsisse, quod voluit Klaussenius (Hecat. fragm. Berol. 1831 p. 95) non solum ex tota Hecataei operis ratione, qualem cognoscere licet, patet, sed etiam ea ex re, quod in duarum gentium nominum formis discrepant. (Λευκόσυροι apud Hecat. fr. 194. 200. 350.

II.

De satrapis Darii Hystaspis filii temporum.

a. Sardium satrapae.

1. Oroetes[1]) natione Persa iam a Cyro rege *Σαρδίων ὕπαρχος* factus est (Her. III 120); quod quonam anno fuerit accuratius definire non possumus. Satrapam autem eum fuisse et ea re probatur, quod Herodotus verbis *Σαρδίων ὕπαρχος* satrapas significare solet (cf. p. 4 sq.) atque nomos Oroetem

---

Σύριοι οἱ Καππαδόκαι: Her. I 72. V 49. VII 72. cf. Noeldeke Herm. V p. 444—447. — *Τίβαροι* apud Hecat. fr. 193. *Τιβαρηνοί:* Her. III 94 VII 78. cf. Kiepert, alte Geogr. p. 94.) — Magis dubitatur de exercitus tabulae fonte. Niebuhrium (Vortr. über alte Gesch. I p. 387) notum est de Choerili poemate cogitasse, cui sententiae nunc nemo adsentitur. Neque magis adsentior Grotio (III² p. 34 n. 62) et Matzatio (p. 478 sqq.), qui a Demarato aut alio viro graeco (cf. Her. VIII 65) Herodotum hanc tabulam accepisse putant. Neque enim Matzatii argumenta ullius momenti sunt; nam singularum gentium numeros Herodotum ex actis publicis comperire non potuisse, elucet ex ratione qua (Her. VII 60) exercitus numerantur, qua ducibus ipsis singularum gentium numeros notos non fuisse docemur. Quod autem Persarum ipsorum habitus describitur non miror, cum aut ne quid desit in actis publicis iam aut ab Herodoto alio ex fonte adici potuerit. Neque plus aliis Matzatii argumentis demonstratur. Quare equidem aliorum virorum doctorum sententiam comprobo, qui hanc quoque tabulam e Persarum actis publicis sumptam esse putant. (Heeren I 1 p. 173 sq. Blum, Herodot u. Ktesias p. 59. Wheeler, geogr. of Herod. p. 208. Baehr ad Her. VII 60. Stein ad Her. VII 61.) Quod ut comprobem his praecipue causis permoveor: una quia non puto Demaratum sive alios omnia tam accurate animadvertere potuisse, qualia apud Herodotum legimus nisi ipsi ex actis publicis hauserunt; altera quia id quod nemo negat satrapiarum quoque tabula ex actis publicis sumpta est; tertia quod hoc ipso in catalogo compluries Persarum atque Graecorum nomina comparantur (c. 61: *τιάρας — πίλους ἀπαγέας.* c. 63: *Ἀσσύριοι — Σύριοι.* c. 64: *Σάκας — Σκύθας Ἀμυργίους.* c. 72: *Καππαδόκαι — Σύριοι*), Herodotus igitur ipse ad Persarum descriptionem respicere videtur. — Restat Schoellii sententia (Herodots Entwickelung zu seinem Beruf: Phil. X p. 33), quae cum sit artificiosissima non facile quemquam adsentientem habebit.

[1]) De nominis forma in scriptorum et graecorum et romanorum codicibus tradita cf. Madvig. ad. Cic. de fin. V 30, 92.

habuisse dicit (III 127) et quod alii scriptores satrapam eum appellant [1]). — Primum Oroetis mentionem facit Herodotus, ubi narrat, quibus causis commotus Polycrati Samiorum tyranno insidias paraverit (III 120 sq.) [2]); tradit autem in capitibus sequentibus, quo dolo Oroetes usus sit, ut Polycratem ad se vocaret (c. 122), ut Polycrates Maeandrium, qui Oroetis opes inspiceret, ad satrapam miserit (c. 123); denique ut Maeandrio [3]) a satrapa decepto Polycrates vatibus filiaque invitis Magnesiam profectus perierit (c. 124 sq.) [4]) Haec omnia facta esse *κατά κου μάλιστα τὴν Καμβύσεω νοῦσον* legimus apud Her. III 120 id est Ol. 64,3/522 [5]) (cf. Clinton f. H. II³ p. 230 sqq. Oxf. 1841). — Tumultus illius tempore, qui Cambysis mortem secutus est, ubi Darius iam regnum accepit, Oroetes, qui ut Magos regno privaret nihil effecerat, Mitrobatem *Δασκυλείου ὕπαρχον* eiusque filium Cranaspem interfecit itemque nuntium a rege missum, qui Oroetem revocaret, insidiis sustulit (Her. III 126). Quo facto Darius Oroetis superbia offensus eum interficere statuit; Bagaeus autem Persa nobilis hac de causa Sardes missus imperatum fecit (Her. III 127 sq.). Quod factum est *οἰδεόντων ἔτι τῶν πρηγμάτων* cum Darius esset *νεωστὶ ἔχων τὴν ἀρχήν* (Her. III 127); quibus verbis cum Herodotus plane

---

1) Diod. X fr. 15, 4. Strabo XIV 638 C. Luc. Char. 14. Regis praefectum eum Val. Max. VI 9. Ext. 5, praetorem Cicero (de fin. V 30, 92) appellant, quae vocabula saepius pro satrapa adhiberi docent: Nep. Alc. 5, 2. Trog. prol. X Iust. V 1, 7.

2) Confer praeter Herodotum, qui verbo aut facto tyrannum satrapam offendisse negat, Diod. X fr. 15, 4, ubi Polycratem Lydos, qui ex Oroetis satrapia ad eum fugerant, necasse atque opibus privasse narratur. De causis a veteribus scriptoribus allatis conf. B. Niese, krit. Bemerk. über d. ält. griech. Geschichte: Hist. Zeitschr. XLIII (N. F. VII) 1880 p. 402 qui sine dubio recte dicit veras causas ne veteribus quidem notas fuisse. De virorum doctorum nostri temporis de Oroetis caede sententiis cf. Deussen, de Polycr. Sam. tyr. diss. hist. Münster 1866 p. 62 sq.

3) Maeandrium Polycratem prodidisse unus quantum scio tradit Luc. Char. 14.

4) De Polycratis morte cf. Panofka, res Sam. Berol. 1822 p. 41 n. 2; locum quo Polycrates cruci adfixus sit accuratius describere vult Val. Max. l. l.

5) Plin. n. h. XXXIII 6: ipso (Polycrate) circiter CCXXX urbis nostrae annum interfecto.

dicat paulo post Darii regni initium haec gesta esse, Steinii argumenta, quibus iam tum haec facta esse negat, non sufficiunt (cf. ad Her. III 127, 2). Negat enim Steinius Herodotum tempus recte tradere, quia temporibus, quibus regnum persicum tot seditionibus vexatum esse ex inscriptione Behistana sciamus, Darium tam procul a regni capite quidquam suscepisse minime verisimile sit. Oblitus igitur est vir doctus Oroetem non bello sed caede esse petitum, quod quia Oroetes *ἐξύβρισε παντοῖα* (c. 126) itaque in suis quoque provinciis minime amatus fuisse putandus est, periculosum fuisse non puto (cf. Iusti, d. alte Persien p. 56); illis autem imprimis temporibus, quibus in multis provinciis seditiones exortae sunt, Darius tam periculosum virum quam celerrime tollere debuit. Item quod ex capite 126, ubi nuntius antea Oroeti missus esse traditur Steinius concludit Darium iam diutius regem fuisse, priusquam Oroetem punire conatus sit, sine dubio Oroetes paulo post hoc facinus necatus est, ut omnia primi Darii regis temporis esse possint. In inscriptionibus autem cuneatis Darius huius hominis non tam ea de causa non fecit mentionem, quia non vi sed dolo oppressus erat, quam quia aperte seditionem non moverat.

Quaeritur denique quorum finium Oroetes ab initio satrapa fuerit. Nam cum III 127 Herodotus dicat *εἶχε νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λύδιον καὶ Ἰωνικὸν* Oroetem *νομὸν Φρύγιον* Mitrobate demum occiso sumpsisse apparet, dubium autem est, utrum Ionia quoque vi potitus an haec provincia simul cum Lydia ei a Cyro tradita sit, quorum illud suspicati sunt Steinius ad Her. III 122 et Posseldtius p. 68 n. 312 (cf. p. 69), hoc Dunckerus (IV^5 p. 469), cuius sententiam equidem comprobo. Neque enim dubito quin si vi Oroetes Ioniae satrapa fuisset, Herodotus aut ipse id narraturus aut Darium eo loco, ubi Oroetis scelera commemorat (c. 127) huius facti mentionem inicientem facturus fuerit. Quare existimo Lydiam Ioniamque ei a Cyro datam esse, Phrygiam solam eum sibi ipsum sumpsisse.

2) B a g a e u s *ὁ Ἀρτόντεω*, qui Oroetem interficit, num quod suspicatur Grotius (II^2 p. 491) post Oroetis mortem ei successerit, et aut omnes tres eius provincias aut partem earum

administrandam acceperit, cum de eo praeter Herodoti locum (III 128) nullum extet testimonium, certe dici non potest[1]).

3) Artaphrenes[2]) Hystaspis filius Darii frater (Her. V 25. 30) a rege Σαρδίων ὕπαρχος (Her. V 25. 73. 123. VI 1. 42) appellatus est, cum bello Scythico confecto ex Asia minore Susa rediret (Her. V 25). Quem cum Atheniensibus primum agentem invenimus ca. annum 507, cum Athenienses Cleomene Athenis eiecto et Clisthene revocato legatos ad Artaphrenem Sardes mittunt, qui foedus cum Persis iciant (Her. V 72 sq.): quos legatos, quod Artaphrenes terram aquamque postulabat, re infecta rediisse notum est. — Deinde anno 502 (Clinton ed. Kr. p. 326) Naxiorum exules Aristagoram adierunt, ut per eum domum reverterentur. Cuius ope Artaphrenes, ab Artaphrene Darius ipse permotus est, ut ducentae naves adversus Naxum insulam missae sint (Her. V 30—32). Quae classis Megabate atque Aristagora ducibus anni 501 tempore verno (Clinton ed. Kr. p. 20) profecta, ubi Naxus quattuor menses obsessa est[3]) re infecta discessit (Her. V 32—34. Plut. de Her. malign. 36). — Altera autem Atheniensium legatio Sardes ad Artaphrenem venit, cum Hippias Sigeum reversus[4]) satrapam omni modo, ut se Athenas reduceret incitare studeret; quibus legatis Artaphrenes nisi Athenienses Hippiam acciperent bellum se urbi illaturum esse dixit (Her. V 96); quod factum esse videtur paulo antequam Aristagoras Milesius Athenas pervenit (cf. Her. V 97 init.). — Sequuntur deinde belli Ionici tempora, quibus Artaphrenis nomen saepius commemoratur. Primum igitur Her. V 100 narrat Artaphrenem cum anno 499 (Clinton ed. Kr. p. 22) Sardes urbs

[1]) Utrum Her. VII 80 idem Bagaeus sit intelligendus an non nec discerni potest nec ullius momenti est.

[2]) De nominis forma cf. Stein. vind. Herod. p. 8 sq. Ph. Keiper, die Perser des Aisch. in act. sem. phil. Erlang. vol. I 1878 p. 246 sq. cf. C. J. A. I 64: . . . . ΣΑΦΡΕΝΕΝ.

[3]) Kaegi, krit. Gesch. d. spart. Staates v. 500—431 (Jahrb. f. Phil. Suppl. VI 1872/73 p. 467) hoc bellum 502 gestum esse putat (cf. Bursian. Jahresber. I 2. 1873 p. 1062 sq.).

[4]) cf. K. H. Funkhänel, d. thrak. Cherson. als Besitzth. d. Athen. Phil. IV 1849 p. 91 n. 13.

a Ionibus capta combustaque esset, arcem non parva manu obtinuisse (cf. Plut. de Her. malign. 24). V 123 Herodotus rerum ab Artaphrene et Otane in Ionia atque Aeolide gestarum mentionem facit. Deinde (Her. VI 1) Artaphrenes Histiaeum Susis Sardes venientem arguit quod ipse sit belli Ionici auctor[1]) (de tempore: Clinton f. h. ed. Oxon. 1841 II.[3] p. 216). — Deinde (Her. VI 4) ubi per Hermippum quendam nomina Persarum cum Histiaeo facientium ex epistolis comperit, magnum numerum interfici iussit; denique Histiaeum ab Harpago captum Sardibus necat invito Dario (Her. VI 30). — Anno 493 bello Ionico confecto Artaphrenes Ionicarum urbium legatis convocatis[2]) urbes inter se foedera icere iubet, terram denuo emensus tributa imponit[3]) fere eadem quae antea fuerunt, quae eadem fuisse suis quoque temporibus, scilicet in tributorum tabulis[4]) Herodotus tradit (VI 42). — Post annum 493 Artaphrenes nusquam nominatur, Herodotus autem (VI 43) dicit: *ἅμα τῷ ἔαρι τῶν ἄλλων καταλελυμένων στρατηγῶν ἐκ βασιλέος Μαρδόνιος ὁ Γοβρύεω κατέβαινε ἐπὶ θάλασσαν* (492 cf. Clinton).

Quaeritur igitur utrum verbis *τῶν ἄλλων καταλελυμένων στρα-*

[1]) Verba tum ab Artaphrene dicta *τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔρραψας μὲν σύ, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρης* Diogenianus quoque affert (VIII 49 Paroem. gr. I p. 315) his verbis adiectis: *Ἀρταφέρνου τοῦτο τοῦ Περσῶν βασιλέως.* Quae verba corrupta esse nemo non intelligit neque fulciri possunt tribus locis, ubi item rex pro satrapa dici videtur (Xen. oec. IV 16: de Cyro minore; Sext. Emp. p. 479 Bkk.: de Tissapherne; Charito IV 5: de Mithridate Cariae satrapa), praesertim cum Diogenianus pergat: *οὗ τὸ δόλιον ἀνακαλύπτων ὁ σατράπης εἰς αὐτὸν τοῦτο εἶπε κτλ.*; quibus e verbis iam antea Artaphrenem satrapam appellatum esse cum pateat, scribam: *Ἀρταφέρνου τοῦτο τοῦ σατράπου τοῦ Περσῶν βασιλέως.* — Simili modo quod hic commemorare liceat vocabulum periisse puto: Diogen. praef. p. 180, ubi scribendum est: *Καὶ γὰρ τῷ Ἀδώνιδι — ζώσας ἐνίεσαν «πυρὶ» περιστεράς κτλ.* et Diogen. II 7: *οὗτοι γὰρ «πρῶτοι» τὸν τῆς κτλ.* (cf. Zenob. I 56. Macar. I 67. Apost. I 99.)

[2]) De sermone tum inter Artaphrenem et Hecataeum habito cf. Diod. X fr. 25, 2 unde Artaphrenes Hecataeo auctore Ionibus pepercisse videtur.

[3]) De ratione tributi Ionum civitatibus ab Artaphrene impositi cf. Baehr. exc. III ad Her. VI 42 (vol. III p. 809 sqq.); Posseldt. p. 52. De aliis Artaphrenis institutis cf. Posseldt. p. 88—92.

[4]) cf. Stein. ad Her. VI 42.

τηγῶν Herodotus dicere voluerit, quod quia Artaphrenes postea non nominatur suspicari licet, Artaphrenem omnino munera tum deponere coactum esse itaque satrapae quoque munus, an quod existimat Posseldtius p. 92 sqq. unum exercitus imperium neque vero satrapae munus ei ademptum esse. Quod ut cognoscamus necesse est accuratius videre quaenam potestas Artaphreni fuerit. — Artaphrenem igitur plerumque appellari *Σαρδίων ὕπαρχον* i. e. Lydiae satrapam iam supra vidimus, itaque saepius eum Sardibus habitantem invenimus (Her. V 31. 73 etc.). Uno autem loco (Her. V 30) Aristagoras cum Naxiorum exules ab eo auxilium petant, cum Artaphrenem solum eis auxilium mittere posse dicit, *ὁ δὲ Ἀρταφρένης*, inquit, *τῶν ἐπιθαλασσίων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ ἄρχει πάντων.* Cum igitur pateat Artaphrenem Lydiae satrapam fuisse, iam dubium est num Ionia quoque ei paruerit. Quod equidem non dubito; nam praeterquam quod fortasse ex ipsis Herodoti verbis modo laudatis colligis, si apud Herodotum res in bello Ionico gestas narratas legis, certe miraberis, quod nusquam Ioniae satrapa commemoretur neque intelliges, quomodo fieri potuerit, ut in Ionum seditione Ioniae satrapa non sit commemoratus. Contra Iones belli initio Sardes Artaphrenis caput petunt (V 99), alius satrapae non fit mentio. Videntur igitur, cum Artaphrenem statim adoriantur huic uni subditi esse, cum unaquaeque gens, si seditionem facit suum aggrediatur principem. Aliter iudicat Posseldtius (p. 70—74) qui quamquam nec Oroetis nec Artaphrenis temporibus Ionia satrapia aut Ioniae satrapa nominatur, Ioniam Lydiamque tum unam fuisse satrapiam negat, quia hoc non conveniat Herodoti ipsius verbis (III 90), neque dubitandum sit, quin tam laudabilis provinciarum divisio vere facta sit. Accedere autem, quod cum permulti tyranni in Ioniae urbibus fuerint, Ioniae satrapa tam parvi momenti fuisse putandus sit, ut facile eius nomen deesse possit. Sed primum quomodo tyrannorum magno numero satrapae potestas debilitetur equidem non intelligo, cum tyrannorum urbes non minus satrapae parere coactae fuerint aliis. Quod autem Posseldtius propter Herodoti verba non vult concedere Ioniam Lydiamque fuisse coniunctas, quia satrapiae

aliae postea non tam in unam coactae quam divisae sint (Nikolai, d. Politik d. Tissaphernes. Progr. Bernburg 1863 p. 5), facile cognoscitur et ex eis quae sequuntur elucebit nullo fere tempore Persarum regni separatas Lydiae atque Ioniae satrapias commemorari semperque fere in unius potestate fuisse videri. Itaque cum item post bellum Ionicum in Ionia unus Artaphrenes res ordinet (Her. VI 42), Artaphrenem Ioniae simul satrapam fuisse existimo (cf. Ph. Keiper, Phil. Rundschau I 1881 p. 427).

Quod idem iam sensit Krügerus, cui illud tamen assentiri dubito, quod (commentatt. crit. et hist. de Thuc. parte postr. in edit. Dion. historiogr. p. 352 n. 11) Artaphrenem eidem provinciae praefuisse dicit, quae *νομὸν τόν τε Φρύγιον καὶ Λύδιον καὶ Ἰωνικόν* (cf. Her. V 25) complecteretur. Nam Phrygiam sive tertiam satrapiam Artaphrenem habuisse nullo Herodotus verbo dicit neque video unde Krügerus illud concluserit nisi verba Herodoti *τῶν ἐπιθαλασσίων ἄρχει πάντων* sic intellexit. Praeterea non ut Ioniam Lydiamque sic Phrygiam quoque satrapiam alias cum illis coniunctam invenimus, ut omnino parum sit verisimile tum Hellespontum Artaphreni paruisse. Immo alium ducem ab Herodoto saepius illis temporibus nominatum hanc tertiam satrapiam tum obtinuisse probare posse mihi videor. Nam cum in bello Ionico enarrando Herodotus accuratius de Asiae minoris conditione verba faciat compluresque duces ibi nominet, Phrygiae quoque satrapam si extitit commemorari existimabimus. Quibus de causis Steinius iam (ad Her. V 102) satrapam quaesivit. Cum enim Herodotus dicat illo loco: *τότε δὲ* (Sardibus combustis) *οἱ Πέρσαι οἱ ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ νομοὺς ἔχοντες — συνηλίζοντο καὶ ἐβοήθεον τοῖσι Λυδοῖσι*, Steinius (collatis I 192 III 127) verbis *οἱ Πέρσαι — νομοὺς ἔχοντες* significari hoc loco putat duos Ioniae Phrygiaeque satrapas, quos fuisse Daurisem (aut Hymaeem) et Otanem existimat. Cui sententiae nos ubi de Artaphrenis satrapia verba fecimus assentiri non possumus, cum non complures, sed unus Phrygiae satrapa desideretur; *νομοὺς ἔχειν* autem non semper esse *σατραπεύειν* docemur verbis, quae legimus paulo ante locum nostrum (V 92 a.): *ἄνθρωποι νομὸν ἐν θαλάσσῃ ἕξουσι καὶ ἰχθύες τὸν πρότερον ἄνθρωποι*, ubi Steinius quoque *νομὸν* vocabulo sedis in-

terpretatur, quocum loco iam Schweighaeuserus (lexic. Herod. p. 128) nostrum locum recte contulit. Bene autem Steinius illa in adnotatione eos viros cognovit, quorum e numero Dascylii satrapam eligere oportebit idemque de Daurise atque Hymaee minus certa nota esse quam de Otane vidit.

Sed ne multa; vix dubito quin Otanes tum fuerit Hellesponti satrapa. Quod quamquam Herodotum planis verbis non dicere negari non potest, tamen ex eis, quae apud patrem historiae legimus concludi posse existimo. Cum enim Her. V 25 Otanem appellet *στρατηγὸν τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν* haec verba tam incerta sunt, ut quid eis significatum sit viri docti non intellexerint (Baehr. ad Her. V 25). Id unum autem manifestum esse videtur, qua in re miro modo erravit Sieversius (Gesch. Griechlds. p. 352 n. 24) non posse idem significari his verbis, quod dicit V 30 verbis *τῶν ἐπιθαλασσίων — ἄρχει πάντων*. Si autem quid verbis illis modo laudatis dicatur quaerimus, Herodotus ubi illis pauca de patre Otanis addidit sic pergit: *οὗτος ὢν ὁ Ὀτάνης — τότε διάδοχος γενόμενος Μεγαβάζῳ τῆς στρατηγίης κτλ.*, ut Megabazus item fuisse videatur *στρατηγὸς τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν* [1]). Neque vero idem alio loco Herodotus de Megabazo dicit, cum IV 143 tradat Darium post bellum Scythicum eum copiarum ducem in Europa reliquisse, qui deinde *ἐν τῇ χώρῃ Ἑλλησποντίων τοὺς μὴ μηδίζοντας κατεστρέφετο* (c. 144). Otanem autem non solum in Europa ducem copiarum fuisse sed etiam in Asia imperasse planis verbis Herodotus ipse eloquitur, cum V 26 narret Otanem Byzantio capto Calchedonem Antandrum Lamponium, insulas Lemnum et Imbrum cepisse. Videmus igitur Otanem praeter ea, quae in Europa fecit in Asia in tertia solum satrapia bellum gessisse [2]). Itaque Baehrius (ad Her. V 25) putavit Otanem *στρατηγὸν* tantum fuisse i. e. ducem copiarum, quae in regionibus ad

---

[1]) Dunckerus IV [5] p. 517 n. 4 quod putat Otanem prius *στρατηγὸν κτλ.* deinde Megabazi successorem fuisse, Herodotum de muneribus temporis spatio secretis non cogitasse patet.

[2]) De Chalcedone et Antandro tertiae satrapiae urbibus cf. Xen. Hell. I 3, 1—9. I 1, 25; de Lamponio: Steph. Byz. s. v. *Λαμπώνεια*.

mare sitis et ad Artaphrenis satrapiam pertinentibus essent collocatae, ut civitates (Graecas potissimum) in obsequio tenerent regnique fines tutarentur. Neque vero cum viro docto consentio. Nam cum Herodotus (V 30) ipse eloquatur Artaphrenem magnas copias habuisse, si Otanem ducem copiarum fuisse putaremus, quae in regionibus ad mare sitis erant, existimare cogeremur Otanem fuisse Artaphrenis exercitus ducem, quod concedere non licet. Primum enim iure nostro miraremur, quod Otanes in tertia una satrapia commemoratur [1]), in qua Artaphrenem ipsum imperasse nequaquam notum est, itemque quod in bello Naxio Otanis ne uno quidem verbo mentio fit. Accedit autem, quod nunquam in regno persico commemoratur satrapae exercitus ducem subditum fuisse, contra Xenophon in Cyrop. VIII 6, 1 — neque vero quisquam dubitavit, quin quae ibi enarrat Xenophon ex posterioris temporis regno persico sumpserit — copiarum duces ut suo unius imperio parerent regem voluisse dicit. Itaque cum habeamus cur Otanem copiarum ducem Artaphreni subditum fuisse negemus, ne unum eum Artaphrenis satrapiae copiis praefuisse existimemus impediunt Herodoti verba (V 30), quibus Artaphrenes magnas copias habuisse dicitur. — Quare cum in Lydia Ioniaque Otanes non imperaverit — quod nullo loco suadetur nisi affers Herodoti (V 25) verba —, restat cum in Asia munere functus sit, ut in tertia sive Hellesponti satrapia Otanem *στρατηγὸν* fuisse putemus. Quaeritur igitur id unum, utrum satrapa an dux tantum copiarum ibi Otanes fuerit. Sed quamquam de rebus bello gestis modo Herodotus tradit, cum nec huius satrapiae satrapa nominetur et nunquam fere praeter satrapas copiarum duces, de quibus verba facit Xenophon l. l., commemoratos inveniamus, non dubito quin Otanes fuerit Dascylii satrapa. Quomodo autem factum sit, ut minus perspicuis verbis Herodotus utatur non possumus videre.

Iterum autem eadem occurrunt verba alio Herodoti loco (VII 135), ubi Hydarnes appellatur *στρατηγὸς τῶν παραθαλασσίων ἀνθρώπων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ*; quem virum si eodem munere,

---

[1]) In bello Ionico et ipse Artaphreni auxilio properat (Her. V 116.)

quo Otanes functum esse puto, cum huic sententiae nihil repugnet, mecum consenties, quamquam Arnoldus (ad Thuc. VIII 5) Hydarnem successorem fuisse Oroetis Artaphrenis Mardonii — nullis quidem certis de causis suspicabatur. Num verbis *τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ* (Her. VII 135) Hydarnis munus opponatur Otanis muneri, qui et in Asia et in Europa imperabat, dubium est.

Quoniam vidimus verbis *ἐπιθαλασσίων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ ἄρχει πάντων* non dici Artaphrenem omnium satraparum ad mare sitarum satrapam fuisse, rectissime mihi iudicasse videntur Lachmannus, Gesch. Griechenlands I p. 438 et Posseldtius p. 62, qui Artaphrenis conditionem comparant cum conditione Cyri minoris, qui fuit *κάρανος τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων* (Xen. Hell. I 4, 3) sive *ἄρχων πάντων τῶν ἐπὶ θαλάττῃ* (ibid. cf. Grote II[2] p. 529), quos viros doctos si sequemur, putabimus Artaphrenem non solum Lydiae Ioniaeque satrapam fuisse sed simul Otani et omnibus copiis quae his in regionibus erant praefuisse[1]). Quod ut putem praeterea tribus imprimis causis permoveor: primum quod Artaphrenes in Asia minore regis vicarius esse videtur (cf. Her. V 30 sqq. 73. 96); deinde quod statim ubi Iones Sardes adorti sunt, omnes Persae *οἱ ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ νομοὺς ἔχοντες* (Her. V 102) Artaphreni auxilio veniunt (Lachmann, I p. 437, 2). Cur enim ei, qui citra Halym sedebant, omnes eique soli auxiliati sunt, nisi necessitate quadam cum Artaphrene coniuncti erant? Tum quod postea quoque, ut iam commemoravi, unus satrapa isque Sardium aliis praefectus est, ut quo regni opes cogerentur omnis potestas in unius manibus esset. Artaphrenem autem fuisse *κάρανον* ut ita dicam, significat Herodotus verbis saepius laudatis neque vero quod Posseldtius p. 70—74 putat probo Artaphrenem non esse caranum factum sed natura rerum regis fratrem aliis praefectum fuisse. — Quae cum ita sint mihi quidem non est dubium Herodotus quod (VI 43) dicit *τῶν ἄλλων καταλελυμένων στρα-*

---

[1]) Steinius quod (ad Her. V 25) ex Her. V 123 concludit Otanem Artaphreni dignitate parem fuisse, id non comprobo; Herodotus illo loco dicit Otanem tertiae exercitus partis ducem in Ioniam ivisse, Artaphrenem autem totius belli ducem apud eum fuisse.

τηγῶν Μαρδόνιος κατέβαινε ἐπὶ θάλασσαν (a. 492), quin intelligat Artaphrenem omnia munera sua deposuisse, ut Artaphrenes a fine belli Scythici usque ad annum 492 satrapa fuerit.

4) Mardonius[1]) Gobryae filius iuvenis (Her. VI 43), triplici necessitudine cum Dario rege coniunctus, cum esset eius uxoris frater (Her. VII 2), sororis filius (VII 5), filiae maritus[2]) (VI 43) *ἅμα τῷ ἔαρι* anni 492 in Asiam minorem venit (Her. VI 43). Ubi quid egerit paucis modo verbis Herodotus dicit, cum tradat Mardonium in Ionia omnes tyrannos expulisse et in urbibus respublicas instituisse[3]). Praeterea nihil quod huc pertineat cognoscimus. — Nullo igitur loco aut satrapa Mardonius appellatur (nisi huc refers Nep. Paus. 1) aut quidquam, quo eum satrapam fuisse appareat commemoratur. Id autem per se manifestum est, Mardonium ubi ad mare venit, aliquamdiu omnibus eis satrapiis, quarum satrapae muneribus privati erant, praefuisse, quare Arnoldus quoque (ad Thuc. VIII 5) eum Artaphrenis successorem nominat, cum Posseldtius p. 92 sqq. eum copiarum modo ducem fuisse credat. Quamdiu autem his muneribus functus sit Mardonius, utrum paulo post adventum suum alios satrapas instituerit, quod suspicor, an Sardium satrapiam obtinuerit usque ad annum 490, quo Darius eum *φλαύρως πρήξαντα τῷ στόλῳ παραλύει τῆς στρατηγίης* (VI 94) discernere non possumus[4]).

b. Ioniae satrapae.

De Ioniae satrapis nova hic afferre non possum, quoniam Lydiae satrapas modo nominatos simul Ioniam obtinuisse de-

---

[1]) Nep. Paus. I 2 Mardonium Medum fuisse dicit minus accurate; Persam cum fuisse testantur Her. III 73. Diod. XI 1.

[2]) Nep. Paus. I 2 credere videtur Mardonium fuisse Xerxis regis generum; quo de errore confer Nipperdey ad Nep. l. l. (in edit. maj.).

[3]) De ratione Mardonii institutorum cf. Plass, d. Tyr. b. d. Griech. I p. 325. Grote II[2] p. 553 sq. De tyrannis postea nominatis: Posseldt. p. 93 sq.

[4]) De Mardonii morte cf. Nipperdey ad Nep. Arist. II 1; Müller ad Aristod. II 5 (F. H. G. V p. 5); Enmann, die Quellen des Trogus für die griech. und sizil. Gesch. Dorpat 1880 p. 23 sq.

monstrare conatus sum nec alios Ioniae satrapas Darii temporibus invenimus. Itaque vide

1) de Oroete: p. 18.
2) de Bagaeo: p. 18. sq.
3) de Artaphrene: p. 21 sq.
4) de Mardonio: p. 26.

Si quaerimus quomodo factum sit, ut Artaphreni Ionia et Lydia simul datae sint, causam non facile intelligimus. Fortasse conicere licet, sicut ante satrapias a Dario institutas Oroetes has duas satrapias habuit, ita postea iterum uni satrapae — nisi fallor Bagaeo — eas traditas esse, quare facile fieri potuit, ut rex quamquam institutione separatae erant, eas uni credere consuesceret. Neque vero minus verisimile est Darium fratri, cum eum in Asia minore relinqueret eximiam potestatem dare voluisse, quod duabus eum satrapiis una praefecit. Quod autem postea de Ioniae satrapis fere nihil audimus, non mirabimur, si iam paucis annis post Darii mortem maiorem huius satrapiae partem Persis ereptam esse reputabimus (cf. Kirchhoff, der delische Bund: Herm. XI p. 22 sq. Volquardsen, Burs. Jahresb. 1876 III p. 356 sq. 1879 III p. 58). Quam satrapiam, quamquam regi non iam vere paruit, tamen tum Sardium satrapae additam fuisse, qui tributa Ioniae ut non solvebat, ita persolvere debuit, docet Thuc. VIII 5, 5; item si fortasse quae satrapiae partes paruerunt Persis (cf. Krüger, philol.-hist. Stud. Berol. 1837 p. 94 sq. Kirchhoff p. 22) Lydiae satrapae subiectae erant. Atque hoc modo fieri potuit, ut etiam tum cum Ionia Persarum regi recuperata esset, plerumque tamen cum Lydia coniungeretur, ut nunquam fere satrapam, qui uni Ioniae praefuerit inveniamus, qua de causa Heerenius (Id. I 1 p. 187) Ioniam satrapam omnino unquam habuisse negavit.

c. Dascylii satrapae.

1) Mitrobates Persa Oroetis temporibus *νομοῦ ἄρχων τοῦ ἐν Δασκυλείῳ* (Her. III 120 cf. c. 126: *ὁ ἐκ Δασκυλείου*

ὕπαρχος) quo tempore satrapa[1]) factus sit non audimus; fortasse et ipse iam a Cyro hoc munus accepit. — Ὡς οἱ πλεῦνες λέγουσι a Mitrobate incitatus, ut Samum insulam regis regno adiceret, Oroetes Polycratem tyrannum interfecit (Her. III 120). — Mortem Mitrobatis eiusque filii narrat Her. III 126; interfecto eo Oroetes νομὸν Φρύγιον satrapiae suae adiecit (Her. III 127 cf. p. 18). Quibus imprimis caedibus offensus Darius Oroetem tollere constituit (ibid.).

2) Oroetes quamdiu post Mitrobatis mortem huic satrapiae praefuerit, iam supra vidimus.

3) Bagaeus num et in hac et in aliis satrapiis Oroeti successerit valde dubium est.

4) Otanem fuisse Dascylii satrapam supra demonstrare studui (cf. p. 23 sq.). Fuit autem filius Sisamnis (de cuius morte: Her. V 25), quem in iudicio regio[2]) secutus est (ib.), praeterea regis Darii gener (Her. V 116). — Satrapiam accepisse videtur eodem tempore, quo Artaphrenes Sardibus imperare coepit (Her. V 25 cf. p. 19). — Tum Byzantium Chalcedonem Antandrum Lamponium, deinde Lesbiorum navibus Lemnum Imbrumque cepit, τοὺς μὲν λιποστρατίης ἐπὶ Σκύθας αἰτιώμενος, τοὺς δὲ σίνασθαι τὸν Δαρείου στρατὸν τὸν ἀπὸ Σκυθέων ὀπίσω ἀποκομιζόμενον (Her. V 26 sq.). In bello Ionico simul cum Daurise et Hymaee Iones expeditionis adversus Sardes socios persecutus vicit, quo facto divisis inter se vicibus duces civitates diripiebant (Her. V 116). Otanes igitur cum Artaphrene adversus Ioniam atque Aeoliam proficiscitur, ubi Clazomenas atque Cymam vi capiunt (V 123: a. 497; de tempore cf. Stein. ad Herod. V 33). — Post hoc tempus Otanis in Asia minore non fit mentio; paulo post eum munere discessisse putandum esse confestim videbimus. Num autem sit idem Otanes qui nominatur VII 40. 61. 62. 82, non dicam.

5) Oebares Megabazi filius ὁ ἐν Δασκυλείῳ ὕπαρχος (Her. VI 33), iam ante annum 493 hoc munus accepit. Nam cum hoc anno (cf. Clinton ed. Kr. p. 24) Phoenicum classis in Helles-

---

[1]) Satrapam Mitrobatem fuisse non intellexit Justi, d. alte Persien p. 56, qui eum copiarum ducem fuisse censet.

[2]) De hoc iudicio cf. Stein. ad III 31. Justi p. 61.

ponti regiones veniret, Cyzicum eam non navigasse narrat Herodotus (l. l.), quia Cyziceni iam antea Oebari Dascylii satrapae se subiecissent. Neque vero diu ante hoc tempus eum iam ibi fuisse ea ex re sequitur, quod in bello Ionico nullae eius fuerunt partes. Quo autem tempore et qua de causa Otanis successor factus sit non traditur. Fortasse Oebares et ipse, cum Mardonius in Asiam minorem veniret, munus deponere coactus est.

d. Ciliciae satrapae.

Quod Xen. Cyrop. VII 4, 2 de Cyro tradit: *οὐδ' ἔπεμψε πώποτε Πέρσην σατράπην οὔτε Κιλίκων οὔτε Κυπρίων, ἀλλ' ἤρκουν αὐτῷ ἀεὶ οἱ ἐπιχώριοι βασιλεύοντες* de posterioribus quoque temporibus intelligendum esse inter viros doctos satis constat (cf. Stein. ad Her. I 74, 16)[1]. Semper autem usque ad Cyri minoris tempora Ciliciae principes apud scriptores graecos nomine *Συέννεσις* significatos invenimus, qui cum Persarum regi subditi essent atque tributa solverent, Persarum temporibus nihil nisi satraparum munere functi sunt, quamquam nullo quantum scio loco satrapae titulo[2]) appellantur. — Cum iam Alyattis temporibus (Her. I 74) huius nominis princeps in Cilicia nominetur, ad nostra tempora primus pertinet.

S y e n n e s i s *ὁ τῶν Κιλίκων βασιλεύς*, quem Pixodari Caris socerum fuisse belli Ionici temporibus comperimus (Her. V 118).

---

[1]) cf. Cyrop. VIII 6, 8. Ed. Meyer, d. Königr. Pontus p. 25, qui idem de Ciliciae satrapiae ambitu verba facit (cf. Droysen, Zeitschr. f. Num. II p. 310).

[2]) Adsentiri nequeo Steinio (l. l.) aliisque viris doctis, qui *Συέννεσις* honoris vocabulum fuisse contendunt, sed ipsum nomen horum principum fuisse persuasum habeo. Nam praeterquam quod Xen. Anab. I 2, 12. Her. V 118. Aesch. Pers. 324 patet, scriptores nomen id esse putasse, cui sententiae nullus alius locus repugnat, mihi imprimis persuadent verba, quae legimus apud Arist. h. an. 511 b. 23 sqq.: *Συέννεσις ὁ Κύπριος ἰατρός*, unde et alias hoc nomen adhibitum fuisse videmus (cf. Heeren, Id. I 1 p. 212. Keiper p. 280).

III.

De satrapis, qui imperaverunt in Asia minore post Darii mortem usque ad annum a. C. n. 413.

a. Sardium satrapae.

Primum pauca dicenda sunt de Herodoti tabula exercitus, quam legimus in libro septimo. Quoniam supra (p. 5 sq.) docui quomodo in singulis exercitus partibus satrapiarum Herodotearum gentes coniunctae fuerint, ubi totius satrapiae copias uni duci traditas invenimus non dubito, quin harum gentium dux idem satrapa fuerit; nam cum plane Herodotus dicat Achaemenem Aegypti satrapam [1]) (VII 7) in bello quoque satrapiae copiis praefuisse (VII 97), item suspicari licet Artyphium septimae (VII 66), Anaphem octavae (VII 62), nonae Otaspem (VII 63), undecimae satrapiae Megapanum (VII 62) satrapam fuisse. Difficilius est suspicatu, quinam fuerint satrapae, ubi unius satrapiae copiae inter complures duces divisae sunt; fortasse autem recte iudicabimus, si bis eos fuisse satrapas credemus, qui multo maiori satrapiae copiarum parti praepositi erant. Quod accidit in satrapia decima, cuius erant Medi Paricanii Orthocorybantii (Her. III 92), quorum hi in Xerxis agmine desunt, Paricanii non ut tertio in libro bis sed semel nominantur (qua de re cf. p. 10); qua de causa Tigranem Achaemenidem, qui in exercitu Medis praefuit (VII 62) Medorum satrapam fuisse puto. Praeterea autem, quod huc spectat, cum Lydis et Mysis praesit

1) Artaphrenes *ὁ Ἀρταφρένεος ὃς ἐς Μαραθῶνα ἐσέβαλε ἅμα Δάτι* (Her. VII 74), cum alii huius secundae satrapiae populi minimi sint momenti, verisimile est hunc Artaphrenem, pariter atque olim patrem, *Σαρδίων ὕπαρχον* tum fuisse. Neque vero offendimur ea re, quod apud Aesch. Pers. v. 41 sqq. alios Persarum duces invenimus (cf. Keiper p. 230 sq. Weil, ed.

---

[1]) Cur Justi (eine Heerschau des Xerxes: Histor. Taschenbuch 5. Folge. 4. Jahrg. 1874 p. 19) Arsamem Darii filium (cf. Her. VII 69) Aegypti satrapam appellet nemo intelliget.

Aesch. Pers. p. XIX). Num item ac pater hic quoque Artaphrenes una Ioniae satrapa fuerit, non discernam, cum ex Her. VII 97 facile concludere possis eodem modo esse iudicandum ut de Achaemene et Ioniae satrapam fuisse Ariabignem Darii filium.

2) Pissuthnes ὁ Ὑστάσπου[1]) (Thuc. I 115) *ὁ τῶν Περσῶν σατράπης* (Diod. XII 27), *ὅς εἶχε Σάρδεις* (Thuc. l. l.) (cf. Ctes. Pers. 52: *ἡ Πισούθνου σατραπεία*). Quo tempore satrapiam acceperit non audimus, cum eum iam anno a. C. n. 463 (cf. Diod. XI 71) hoc munere fungi coepisse minime verisimile sit. — Primum commemoratur anno 440 (Clinton); Sami enim instituta ab Atheniensibus democratia ubi Atheniensium copiae praesidio relicto domum redierunt, optimates cum Pissuthne pacti cum septingentis militibus[2]) urbe potiti sunt[3]). Quo facto praesidium ab Atheniensibus Sami relictum Pissuthni tradunt[4]) (Thuc. I 115). Eiusdem porro satrapae mentio fit anno a. C. n. 427, cum Iones Lesbiique Alcidae Lacedaemoniorum duci persuadere studeant, ut una cum Pissuthne Ioniam Atheniensibus eripere conetur (Thuc. III 31). Eodem anno Paches Atheniensis dolo atque vi Arcadum[5]) barbarorumque praesidium, quod Pissuthnes persicae factioni Notium auxilio miserat, opprimit (Thuc. III 34. Polyaen. III 2). — Omnia, quae de Pissuthne scimus ut habeas restat, ut afferam Ctesiae (Pers. 52) de Pissuthnis defectione narrationem. Descivit igi-

---

[1]) De Hystaspe patre cf. Larcher. apud Baehr. (ad Ctes. Pers. 52) qui eundem fuisse conicit, qui apud Ctesiam (Pers. 20) inter Xerxis filios laudatur; contra Krügerus comment. p. 352 n. 11 Pissuthnem Artaphrenis Darii fratris fuisse nepotem putat; quae omnia valde dubia.

[2]) Quos septingentos milites eis Pissuthnem dedisse, ut per eos Samum sibi caperet, narrat Diod. XII 27.

[3]) De Sami defectione: U. Köhler, der del.-att. Bund: Abh. d. Berl. Ak. 1869 II p. 131. De toto bello: Pierson, die Pentekontaetie. Phil. XXVIII 1869 p. 213—217.

[4]) Periclem Sami democratiam instituisse, quamquam et optimates et Pissuthnes ne hoc faceret, pecuniis eum corrumpere conati sint, legimus apud Plut. Per. 25; idem narrat Pissuthnem obsides Samiorum ab Atheniensibus Lemnum deportatos inde reduxisse et omnia ad bellum parasse.

[5]) De graecis satraparum mercennariis cf. Sievers p. 357, 60.

tur Pissuthnes a rege Dario; qua re adversus eum mittuntur Tissaphernes et Spithridates et Parmises, qui Lyconem Atheniensem, qui cum Graecis Pissuthnem sequitur, pecuniis corrumpunt; quo facto Pissuthnes proditione captus ad regem ducitur, qui eum necavit eiusque satrapiam tradidit Tissapherni. Quod quo anno factum sit nescimus; post annum 424 (quo anno Darius Nothus rex factus est, cf. Clinton. ed. Kr. p. 327) patet fuisse et ante annum 413, quo Thucydides primum Tissaphernis mentionem facit. Fuisse anno 414 suspicatur Dahlmann, Forschungen I p. 117, hac nisi fallor causa motus, quod sequenti anno Amorgis Pissuthnis filii defectio narratur, quam patris mortem secutam esse Dahlmann putare videtur; similiter iudicat Blum, Ctesias und Herodot p. 77. — Anno enim 413 rex Tissaphernem iussit Amorgem, qui in Caria defecerat aut viventem aut mortuum ad aulam regiam ferre. Quomodo autem Amorges aestate anni 412 a Peloponnesiis captus sit item apud Thucydidem legimus (VIII 5. 28).

b. Ioniae satrapae.

Ut Achaemenes satrapa in bello persico Aegyptiorum classi praeerat, ita Ariabignem quoque Darii filium, qui Ioniae Cariaeque classi praefectus erat (Her. VII 97) harum provinciarum satrapam fuisse iam supra suspicatus sum (cf. p. 31). Neque vero dubito quin erraverit Steinius (ad Her. VII 194) quod Sandocem, qui dicitur *ὁ ἀπὸ Κύμης τῆς Αἰολίδος ὕπαρχος* (Her. l. l.) fuisse Ioniae satrapam existimare videtur. Cuius viri docti sententia, quam fulcire videtur Her. III 126 (*ὁ ἐκ Δασκυλείου ὕπαρχος*) et VI 33 (*ὁ ἐν Δασκυλείῳ ὕπαρχος*) reiicienda est, quia si satrapa fuisset, hoc in bello maiorem potestatem habuisse existimandus est, atque Herodotus eum sine dubio VII 98, ubi praeter duces viros classis honoratissimos nominat, nominasset. Quare aut urbis praefectum eum fuisse putabimus (Baehr. ad Her. V 25. cf. VII 105 sq.) aut partis alicuius satrapiae hyparchum.

Ultimus Persarum ante libertatem recuperatam Tigranes Ioniae imperat, quem Xerxes e Graecia reversus cum sexaginta milibus militum ad Ioniam tutandam in ora maritima relique-

rat (Her. IX 96); qui vir, quem satrapam nominare vix licet, in pugna Mycalensi fortiter pugnans occidit (Her. IX 102).

c) Dascylii [1]) satrapae.

1) Primus hoc tempore nominandus est Hydarnes Persa στρατηγὸς τῶν παραθαλασσίων ἀνθρώπων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ (Her. VII 135); quem fuisse tertiae satrapiae satrapam supra demonstrabam (p. 24 sq.). Ad quem veniunt, cum ad Xerxem iter faciant — primis nisi fallor Xerxis regni annis (cf. Kaegi, krit. Gesch. des spart. Staat. Jahrb. Suppl. VI p. 453 n. 4) — Sperthias et Bulis Spartani, quibus ille ut Persarum regi pareant suadet [2]) (Her. l. l.). — Cum eundem Hydarnem appellet Her. VI 133, ubi narrat Lysagoram Parium Miltiadem apud eum calumniatum esse, quod priusquam Miltiades domum profectus est [3]), dum in Chersoneso versatur factum esse putabimus, tum nondum hoc munere Hydarnes functus est. Nam vidimus illo tempore Oebarem Dascylii satrapam fuisse, cuius fortasse successor fuit Hydarnes; quod munus antea obtinuerit Hydarnes nescimus; suspicari possumus, eum copiarum (ut erat Harpagus: Her. VI 28) aut classis fuisse praefectum.

2) Megabates Dascylii satrapiam administravit usque ad id tempus, quo Pausanias proditionem parans cum Xerxe agere coepit (Thuc. I 129); quod factum est paulo post Byzantii expugnationem [4]), antequam Colonis Pausanias fuit [5]). — Eiusdem Megabatis mentionem facit Her. (V 32) eo loco, ubi Artaphrenem eum in bello Naxio classi praefecisse dicit: στρατηγὸν

---

[1]) Titulum retineo, quamquam urbem ipsam non semper satrapae paruisse non ignoro (cf. Boeckh, Staatshh. d. Ath. II p. 663).

[2]) Cuius eiusdem rei mentionem facit Plut. apophth. Lac. p. 291 D., qui Ἰνδάρνην vocat.

[3]) Miltiadem anno 493 domum e Chersoneso rediisse putat Clinton; anno 494 Kaegi p. 467, Funkhaenel, Phil. IV p. 92.

[4]) De cuius tempore virorum doctorum sententias invenis apud W. Pierson, die Pentekontaetie, Phil. XXVIII p. 50.

[5]) De tempore cf. Pierson, qui congessit diversas quae extant sententias (p. 219); fluctuant inter annos 476, 473, 470.

τούτων ἀπέδεξε Μεγαβάτην ἄνδρα Πέρσην τῶν Ἀχαιμενιδέων[1]), *ἑωυτοῦ τε καὶ Δαρείου ἀνεψιόν, τοῦ Παυσανίης ὁ Κλεομβρότου Λακεδαιμόνιος, εἰ δὴ ἀληθής γε ἐστὶ ὁ λόγος, ὑστέρῳ χρόνῳ τούτων ἡρμόσατο θυγατέρα, ἔρωτα σχὼν τῆς Ἑλλάδος τύραννος γενέσθαι.* In quibus id imprimis memorabile est, quod traditur de Megabatis filia; nam cum alii scriptores (Thuc. I 128. Diod. XI 44, 3. Nep. Paus. 2) Pausaniam regis ipsius filiam petivisse tradant, de Megabatis filia unus quantum scio Herodotus hoc narrat.

3) Artabazus. Cum Pausanias cum Xerxe Graeciae prodendae consilium communicare coepisset, ubi epistola ad regem missa ut homo fidelis ad mare mitteretur rogavit, Xerxes Artabazum Pharnacis filium Megabatis loco Dascylii satrapiae praefecit, epistola ei data, ut per eum in posterum ageret Pausanias (Thuc. I 129)[2]). — Etiamtum hoc munere eum functum esse, cum Pausanias morte punitus est[3]), ea ex re perspicimus, quod Thuc. I 132 (cf. Nep. Paus. IV 1) tradit litteris ad Artabazum missis Pausaniam proditum esse[4]).

4) Anno a. C. n. 430 Dascylii satrapa fuit Pharnaces, Pharnabazi filius (Thuc. II 67). Nam satrapam eum fuisse nuntiat Diod. XII 73, tertiam autem ei satrapiam fuisse concludere licet ex eis, quae legimus apud Thuc. l. l. Quo loco Peloponnesiorum legati, qui ut foedus petant, ad Persarum regem mittuntur, in Thraciam ad Sitalcem veniunt, ut eum Peloponnesiis concilient atque per eum transducantur in Asiam ad Pharnacem (*δι᾽ ἐκείνου πορευθῆναι πέραν τοῦ Ἑλλησπόντου*

---

[1]) Inter Megabatem atque Oebarem cognationem intercessisse existimat Sievers p. 351, 16; quod valde dubium est.

[2]) cf. Nep. Paus. II 5, ubi Artabazus ad Pausaniam mittitur et Diod. XI 44, 4, quem locum ea imprimis de causa affero, quia hic Artabazus, quem satrapam fuisse scimus, vocatur *στρατηγός*.

[3]) De huius rei tempore viri docti valde discrepant, cum tribuant annis 477, 474, 473, 469, 467, 466. cf. Pierson p. 219.

[4]) De rebus ab eodem Artabazo in bello persico gestis cf. Pauly, Realenc. I 2^2 p. 1778.

ὡς Φαρνάκην τὸν Φαρναβάζου) [1]. Idem docet Arist. h. an. 580b 6 sqq.: ubi Phrygiam (nisi fallor minorem; ceterum iam tum Phrygiam maiorem tertiae satrapiae ademptam fuisse non notum est) Pharnaci Pharnabazi patri subditam fuisse fere certum est. Quibus ni erro de causis nemo unquam dubitavit, quin revera Dascylii satrapa fuerit Pharnaces (cf. Krüger comment. p. 353 n. 17. Poppo ad Thuc. I 129. Classen ad Thuc. II 67 etc.). — Iterum nobis occurrit apud Thuc. V 1, ubi scriptor narrat Pharnacem anno 422 Deliis ab Atheniensibus ex insula expulsis [2]) Atramyttium urbem sedem tradidisse, cuius eiusdem rei mentionem facit Diod. XII 73 (cf. Paus. IV 27, 5. Thuc. VIII 108). Qua ex re videmus Atramyttium tum urbem tertiae sive Dascylii satrapiae fuisse. — Quamdiu autem satrapiam habuerit, quamquam non planis verbis traditur tamen coniciam ex loco, quem nemo adhuc adhibuit. Nam cum in Aristophanis avibus (quam comoediam *ἐπὶ Χαβρίου* i. e. anno 414 actam esse satis notum est) v. 1027 sq. *ἐπίσκοπος* dicat:

ἐκκλησιάσαι γοῦν ἐδεόμην οἴκοι μένων ·
ἔστιν γὰρ ἅ δι' ἐμοῦ πέπρακται Φαρνάκῃ

nostrum Pharnacem intelligendum esse iam in scholiis recte adnotatum est, ubi legimus *στρατηγὸς Περσῶν ὁ* (*Φαρνάκης*) *Φαρναβάζου* [3]). Anno igitur 414 cum Aristophanes talem Pharnacis mentionem fecerit, ego non dubito, quin secundum poetarum comicorum in his rebus rationem [4]) Pharnaces aut etiam tum aut paulo antea satrapae munere functus sit. Quare cum anno 413 Pharnabazum filium in eadem satrapia inveniamus, non absurdum erit his ex rebus colligere anno 414 aut paulo antea Pharnacem aut mortuum esse aut a rege revocatum e satrapia decessisse. Utrum autem Aristophanes hoc loco cogi-

[1]) Ut hoc loco Peloponnesiorum legati per Pharnacem ad regem *ἀναπέμπεσθαι* volunt, sic Pharnabazus postea Graecorum legatos ad regem ducit (Xen. Hell. I 3, 13); Athenienses per Tissaphernem ad Cyrum legatos mittunt (I 5, 8).

[2]) De hac expulsione cf. Bursian, Geographie von Griechenland II p. 455 sq.

[3]) cf. Blaydesii adnotationem p. 349.

[4]) cf. Müller-Strübing, Ar. u. d. hist. Krit. p. 706.

taverit de actionibus quibusdam Atheniensium atque Pharnacis an hanc rem sibi ipse libere finxerit[1]) discernere non audeo[2]).

d. Ciliciae satrapae.

1) Inter illustrissimos illos viros, qui praeter duces in Xerxis classe erant (VII 98) Herodotus nominat *Κίλικα Συέννεσιν Ὠρομέδοντος*. Quibus in verbis commemoratione id imprimis dignum est, quod pater Oromedon nominatur, qua ex re fortasse concludere voles aut non omnes principes nomen Syennesis habuisse aut in hoc Cilicum principatu filium patrem non secutum esse. Quorum tamen neutrum equidem comprobo; nam cum usque ad Cyri minoris tempora alius nominis principes in Cilicia nunquam inveniantur, sed ab Herodoto Aeschylo Xenophonte Diodoro hoc uno nomine appellentur, non omnes eodem nomine usos esse mihi persuadere nequeo. Praeterea quis est, qui putet Cyrum aliosque Persarum reges in Cilicia satrapae loco *τὸν ἐπιχώριον βασιλεύοντα* (Xen. Cyrop. VII 4, 2) relicturos fuisse, nisi ibi una familia regnum obtinuisset ita, ut filius patri in regno succederet populusque uni regiae familiae deditus esset? Quare putem tum, cum noster Syennesis munere fungi coeperit aut antecedenti Syennesi filium non fuisse aut Cilicum regum domum omnino exstinctam fuisse, quare a Persarum rege Cilicia alteri cuidam tradita est, qui tum nomen vetus principum sibi quoque sumpsit. Quod idem factum esse videtur post nostri mortem, quo tempore denuo rex Ciliciam viro insigni tradidit, qui et ipse Syennesis nomen sine dubio sibi indidit, cum postea Cyri tempore hoc ipsum nomen inveniamus. Utrum autem his quoque temporibus filius patri successerit, an quomodo fieri solebat in ceteris regni provinciis, semper post uniuscuiusque mortem rex iterum terram

---

[1]) Vischer, die Benützung d. Komoedie: kl. Schr. I p. 479 sqq.

[2]) Krügerus (comm. p. 353, 17) quod dicit post Artabazum Pharnacis filium Pharnabazum I filium, post hunc Pharnacem nostrum, Artabazi nepotem, quem Pharnabazum illum notissimum secutum esse videbimus, eadem satrapia functos esse, meminisse oportet, de Pharnabazi illius primi, quem significat, satrapiae administratione nihil nobis traditum esse. Fortasse vir doctus bene suspicatus est, sed ipse ordini illum inserere dubito.

ediderit, quod equidem credere malim, hac de re nihil certi dici potest.

Praeter Herodotum nostri Syennesis mentionem facit Aesch. Pers. 324 sqq.:

Συέννεσίς τε πρῶτος εἰς εὐψυχίαν,
Κιλίκων ὕπαρχος [1], *εἷς ἀνὴρ πλεῖστον πόνον*
Ἐχθροῖς παρασχών, εὐκλεῶς ἀπώλετο.

Quem in bello persico occidisse cum ab Aeschylo uno cognoscamus, rectum hoc loco tradidisse Aeschylum [2]) ea ex re intelligimus, quod post bellum Xerxes Ciliciam tradit

2) Xenagorae Praxilai filio Halicarnassensi, cui Ciliciam praemio datam esse Herodotus (IX 107) narrat, quia Masistem Xerxis fratrem, quem Artayntes gladio confodere voluerat servasset. Quod factum est anno a. C. n. 479.

IV.

De Tissaphernis Cyri Pharnabazi temporibus [3]).

a. Sardium satrapae.

1) Tissaphernes (cf. Nikolai, die Politik des Tissaphernes. Progr. Bernburg 1863. R. Goldschmidt, zur Gesch. d. pers. Politik im pelop. Kriege. Progr. Nordhausen 1866).

α) ante Cyri minoris Sardibus adventum.

Quomodo Tissaphernes satrapiam acceperit, supra cum de Pissuthne cui Tissaphernes successit dissereremus vidimus. Ac primum quidem commemoratur anno a. C. n. 413 hieme, quo

---

[1]) Sic cum G. Hermanno scribere velim, cum cod. M praebeat *ἄπαρχος*, quod frustra defendit Ahrensius, Phil. Suppl. I 1860 p. 629.

[2]) Praeterea nihil in Persis Aeschylus tradit, quo alium satrapam cognoscamus.

[3]) Horum satraparum res gestas quam brevissime absolvam, quia quae ad eos spectant accuratius in libris, quibus haec tempora tractantur, propter Graecorum res enarrata sunt.

tempore eius legatus Spartam venit, ut foedus cum Lacedaemoniis iceret; sperabat enim Tissaphernes Lacedaemoniorum auxilio se et Asiae minoris urbes graecas, quarum tributa Darius rex tum ab eo poposcerat, ab Atheniensium societate abalienaturum et Amorgem Pissuthnis filium, qui in Caria a Persarum rege defecerat, victurum esse (Thuc. VIII 5, 4 sq. Iustin. V 1, 7). Cui legato quamquam Pharnabazi legati, qui et ipsi Lacedaemoniorum amicitiam quaerebant, obtrectabant, Alcibiadis auxilio Lacedaemonios sibi conciliare contigit (Thuc. VIII 6). Sequitur igitur annus (inde ab hieme anni 413 usque ad hiemem anni 412 cf. Thuc. VIII 45), quo Tissaphernem arte cum Lacedaemoniis coniunctum invenimus. — Primum certum foedus a Chalcideo Lacedaemonio et Tissapherne feritur aestate anni 412, cuius pacti verba praebet Thuc. VIII 18; mercedem tum Lacedaemoniis promissam (Thuc. VIII 5) pependit auctumno eiusdem anni (c. 29). Praeterea Tissaphernis copiae una cum Peloponnesiis Athenienses adortae sunt, sicut iam (c. 16) priusquam foedus ipsum ictum est, Stages Tissaphernis ὕπαρχος, quem postea Tissaph. ipse secutus est (c. 20), una cum Peloponnesiis Teiorum castellum [1]) ab Atheniensibus aedificatum deleverat (c. 16). Eodem autem auctumno Athenienses apud Miletum Peloponnesios atque Tissaphernem eiusque milites fugaverunt (c. 25), Peloponnesii Tissapherne auctore Iasum urbem ibi Amorgem Pissuthnis filium ceperunt (c. 28). T. ipse Cnidum sibi conciliavit (Classen ad c. 35, 5). Paulo post secundum foedus inter Tissaphernem et Therimenem Lacedaemonium factum est (c. 36 sq.).

Sed iam fine huius anni Tissaphernis atque Peloponnesiorum vincula laxantur, cum Cnidi Lacedaemoniorum undecim ξύμβουλοι qui dicuntur (c. 39) a Tissapherne frustra novas foederis conditiones postulent (c. 43) et ubi T. iratus abiit, aliunde opes sibi parare conentur (c. 44). Quae simultas deinde augetur, cum Alcibiades Lacedaemone ad Tissaphernem veniens [2])

---

[1]) cf. K. Scheffler, de reb. Teiorum. Lips. 1882 p. 21 sq.

[2]) De Alcibiade et Tissapherne, quae narrantur vide apud Plut. Alc. 24. Nep. Alc. V 3. Iust. V 2.

eum ut Peloponnesiis mercedem minuat (cf. Isocr. XVI 20) simulque aliam illam in Graecorum rebus tractandis rationem sequatur commoveat (Iustin. V 2, 5—14), quam Thuc. VIII 85 verbo ἐπαμφοτερίζειν significat (Thuc. VIII 45 sq.)[1]. — Cum autem Alcibiades Tissapherni ut Atheniensium amicitiam Lacedaemoniis praeferret (c. 46), Atheniensibus ut Tissaphernem sibi devincirent suasisset (c. 48), Athenis decretum est, ut cum Tissapherne de foedere ageretur (c. 54); quae actiones quomodo per Alcibiadem ipsum irritae factae sint, narrat Thuc. VIII 56. Quo factum est, ut T. qui ne Lacedaemonii sibi inimici fierent, neve ab Atheniensibus fugarentur timuit, Peloponnesiis arcessitis tertium foedus cum eis anni 411 vere[2]) iniret (c. 57 sq.)[3]).

Quo pacto quamquam Lacedaemoniorum atque Tissaphernis amicitia iterum firmata esse videtur, cum T. promissa prae-

---

[1]) Recte Hertzberg, Alcibiades p. 253: „Das politische System, welches Alcibiades dem Satrapen entwarf, wird — von der kurzen Unterbrechung durch den jüngeren Cyrus abgesehen — von jetzt an bis zu dem Falle des unbehilflichen Weltreiches fast unausgesetzt befolgt.“

[2]) De huius foederis tempore cf. Th. Bergk, rhein. Mus. XXXVII 1882 p. 366 n. 1.

[3]) Quod hoc uno in foedere praeter Tissaphernem simul Hieramenes quidam et Pharnacis filii commemorantur, viros doctos iure offendit, cum de Hieramene illo nihil fere sciamus, Pharnacis duo filii noti sint, — Pharnabazus atque Bagaeus (cf. Xen. Hell. III 4, 13. Plut. Alc. 39) — neque vero quo munere Bagaeus functus sit comperiamus. Attamen de Pharnacis filiis Krügeri (comment. p. 353) atque Arnoldi, de Hieramene Bloomfieldi et Arnoldi sententias vide ap. Poppo ad Thuc. VIII 58. Quod Hieramenes et alter Pharnacis filius praeter Tissaphernem atque Pharnabazum nominantur, hac ex re hos viros insignia in Asia minore munera, de quibus aliunde nihil scimus obtinuisse concludere non liceat (cf. Classen ad Thuc. VIII 58). Neque enim tam Asiae minoris persicos summos magistratus omnes, quam huius foederis testes, quibus praesentibus pactum est, quique una cum Tissapherne pro rege pactum nominibus tuerentur, nominatos esse existimo. Maxime autem huic rei idonei sunt Hieramenes, qui Darii sororem in matrimonio habuisse videatur (cf. Classen l. l.) atque Pharnabazus eiusque aut frater, sive fuit Bagaeus sive alter quidam aut fratres. — Bagaeum Plut. l. l. nominat Magaeum; Nipperdey igitur ad Nep. Alc. 10, 3 formam *Μαγαῖος* lapsum calami esse putat; sed confer de eadem similium nominum differentia Wiggers. quaestt. de Corn. Nep. Alc. p. 101 sq. Keiper p. 261. 268 sqq.

stare pararet (c. 59), tamen mox audimus Peloponnesios propter Tissaphernis perfidiam iratos aestate iam cum Pharnabazo agere coepisse (c. 78 cf. c. 80), praesertim cum hic denuo Peloponnesios ad se vocare studeret (c. 80). Haec igitur ira admodum aucta est, cum Alcibiades Thrasybulo auctore ab Atheniensium classe revocatus et dux creatus ad Tissaphernem proficisceretur, ut totum eius animum a Peloponnesiis in Atheniensium partes averteret (c. 81 sqq.). Quae cum ita essent, evenit, ut Milesii Lacedaemoniorum socii castellum a Tissapherne aedificatum caperent eiusque milites eicerent plerisque aliis sociis laudantibus (c. 84). Quare T. cum videret, quantopere Peloponnesii offensi essent, legatum Lacedaemonem misit, qui Milesios accusaret simulque satrapam ipsum a criminibus defenderet (c. 85); eodem autem tempore Aspendum profectus se Phoenicum naves[1]) quas iam diu se Lacedaemoniis auxilio missurum esse promiserat, adducere velle simulabat, cum revera cunctando et Lacedaemoniis et Atheniensibus tunc quoque nocere studeret (c. 87). Quod postquam Alcibiades comperit, statim Tissaphernem secutus eum ad Atheniensium partes trahere pergit (c. 88); Lacedaemonii autem, quibus nec Tissaphernes nec eius praetores promissa praestarent, denique Pharnabazi adhortationibus commoti Tissaphernem relinquere statuerunt atque in Hellespontum profecti sunt (c. 99). — Paulo iam post Antandrii quoque, quos Peloponnesii adiuverunt Tissaphernis praesidium ex arce expulerunt; qua re imprimis factum est, ut T. metuens, ne Peloponnesii alia quoque sibi nocerent simulque Pharnabazo Peloponnesiorum auxilium invidens et ipse in Hellespontum profectus sit, ut cum Lacedaemoniis in gratiam rediret (c. 108 sq.). Quod anni a. C. n. 411 aestatis exitu factum est[2]).

[1]) Tissaphernes hoc bello etiam Phoenicum navibus praefectus est (cf. Thuc. VIII 46. 81 etc. Diod. XIII 36. 46. Iustin. V 2, 5. Plut. Alc. 25. 26 etc.); qua re rex effecit, ut summa totius belli imperii penes unum virum esset; hoc in classis imperio postea Pharnabazus et Conon Tissapherni succedunt.

[2]) Quod Thuc. Ephesi Tissaphernem in itinere Dianae sacra fecisse narrat cf. Nikolai p. 43 n. 17.

Post hoc tempus ante Cyri adventum T. duobus modo locis nobis occurrit; primum enim Xen. Hell. I 1, 9 narrat, quomodo T. in Hellesponto Alcibiadem ceperit Sardibusque retinuerit unde ille post triginta dies Clazomenas aufugit[1]). Praeterea apud Xen. Hell. I 2, 6 sqq. comperimus, quomodo T. anno 409 Ephesum ab Atheniensium impetu defenderit.

2) Cyrus Darii et Parysatidis filius (Xen. An. I 1, 1) anno 408[2]) a rege in Asiam minorem missus est ἄρξων πάντων τῶν ἐπὶ θαλάττῃ (Xen. Hell. I 4, 3) et κάρανος τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων (ib.); cumque simul ei Sardium satrapia data sit (Xen. An. I 9, 7), sic Tissaphernis locum occupavit (Iustin. V 5, 1. Suid. s. v. Ξενοφῶν).[3]) — Cui cum a rege imperatum esset ut cum Lacedaemoniis contra Athenienses pugnaret, Pharnabazum quem Atheniensium de pace legatos ad regem ducentem offendit, hos legatos retinere iussit, quos post tres demum annos, ubi Cyrus concessit, Pharnabazus dimisit[4]) (Xen. Hell. I 4, 3—7). Ubi igitur Sardes venit, Lysander confestim ad eum contendit et Tissaphernis adversus Lacedaemonios ratione narrata, ut se fortiter iuvaret petiit; quod Cyrus non solum ei promittit, sed largiter pecunias ei tradit (I 5, 2—7). Atheniensium autem legatos a Tissapherne sibi adductos Cyrus non admisit, simulque Tissaphernis consilia repudiavit (I 5, 8). Paulo post Lysander cum imperio deposito domum vocaretur, pecunias a Cyro acceptas, quas iam in manibus habuit, ei ut supervacaneas reddidit (Xen. Hell. I 6, 10), ut Callicratidas, qui Lysandro sucessit et ipse ad Cyrum

---

[1]) De Tissaphernis causis: Schneider ad Xen. l. l., Hertzberg, Alcib. p. 310. Nikolai p. 18. — Nullius mihi momenti sunt Mülleri-Strübingii argumenta, quibus commotus apud Xen. Hell. I 1, 9 pro εἰς Ἑλλήσποντον scribere vult εἰς Ἔφεσον. Nam nec mirandum est, quod T. se in Pharnabazi satrapiam confert nec quod Alcibiades ad Tissaphernem venit (Jahrb. f. Philol. 119. 1879 p. 158 sqq.).

[2]) De huius temporis chronologia cf. L. Breitenbach, d. Jahr d. Rückkehr des Alcibiades (Jahrb. f. Philol. 105. 1872 p. 73 sqq.).

[3]) cf. Sieversii dubitationes p. 353 n. 36.

[4]) Secundum Herbstium (d. Rückkehr des Alcibiades. Hamb. 1843, p. 60 sq.) legati anni 409 initio ad regem profecti anni 407 vere dimissi sunt; paulo post Alcibiades Athenas rediit. Aliter judicat Breitenbach l. l.

proficisci atque novas pecunias petere cogeretur. Sed cum Cyrus se superbe gereret, re infecta Callicratidas discessit. (406. Xen. Hell. I 6, 6 sq. cf. Plut. apophth. Lac. p. 272 sq. D.), neque priusquam Cononem in Mytilenaeorum portu obsedit, pecunias a Cyro accepit (I 6, 18). Sed mox Cyrus ipse una cum aliis Lacedaemoniorum sociis ab his petiit ut Lysander denuo classi praeficeretur (II 1, 6 sq.); qua re impetrata Lysander Sardes veniens iterum a Cyro subsidiis optime instructus est (405. Hell. II 1, 10 sq.) — Qui viri quantopere tum coniuncti fuerint amicitia, elucet ea ex re, quod Cyrus, qui duobus cognatis interfectis a rege aegroto revocatus erat (II 1, 8 sq.) cum ex Asia minore discessurus esset, Lysandro ad se vocato multa promisit simulque *παρέδειξε αὐτῷ πάντας τοὺς φόρους τοὺς ἐκ τῶν πόλεων, οἳ αὐτῷ ἴδιοι ἦσαν, καὶ τὰ περιττὰ χρήματα ἔδωκεν.* (405. Xen. Hell. II 1, 13 sq. Diod. XIII 104, 3 sq. Plut. Lys. 9. cf. Xen. Hell. II 3, 8). Quo facto Cyrus ipse ad regem aegrum contendit[1]), quem viventem offendisse videtur (Xen. Hell. II 1, 14. Anab. I 1, 2. Plut. Artax. 2).

Porro post patris Darii mortem matrem filium dilectissimum regem facere cupivisse (Plut. l. l.), a Tissapherne eum apud regem accusatum (Plut. Artax. 3. Xen. Anab. I 1, 3 sq. Ctes. Pers. 57) et matris modo auxilio liberatum esse, haec satis nota sunt. In Asiam igitur minorem reversus Cyrus cum unum, quomodo iniurias sibi illatas ulcisceretur cogitaret (Xen. Anab. I 1, 4) et barbaros et Graecos in Ioniae urbibus ad bellum armavit (I 1, 6). Ioniae enim urbes a rege Tissapherni datae tunc ad Cyrum defecerunt praeter Miletum, quam cum Tissaphernes iam possideret (cf. Polyaen. VII 18, 2), Cyrus obsedit (Xen. Anab. I 1, 6 sq. 9, 9) simul a rege petens ut sibi Ioniae urbes traderentur. Rex autem, qui quod et Cyrus hoc bello occupatus esset et a Tissapherne atque a Cyro simul harum urbium tributa persolverentur, laetabatur, Cyri precibus non obtemperasse videtur (Xen. Anab. I 1, 8). Denique quo-

[1]) Ante hoc tempus Cyrus bella gessisse videtur, quorum mentionem facit Xen. An. I 9, 14, contra Pisidas atque Mysos, quos eum subiecisse Xenophon putat.

modo Cyrus mercennariis satis multis coactis Lacedaemoniorum auxilium sibi conciliaverit (Xen. Hell. III 1, 1 cf. Anab. I 4, 2. Diod. XIV 19, 4), deinde bellum contra fratrem gesserit, mittere liceat. Aestate anni 401 Cyrum ad Cunaxa occidisse nemo nescit.

3) Tissaphernes. β) Cyri temporibus pauca modo de Tissapherne audimus: eo demum tempore quo Cyrus ad patrem profectus est, Tissaphernem eius fuisse comitem comperimus (Xen. Anab. I 1, 2. cf. Nikolai p. 44, 20). Quo in itinere ut post Darii mortem Cyro insidias paraverit, modo paucis tetigimus; item quomodo factum sit, ut Cyrus et T. aperte bellum gererent. Maxime autem T. Cyro nocuit, cum eius in regem Artaxerxem consiliis cognitis quam celerrime ad regem properaret, ut eum certiorem faceret (Xen. Anab. I 2, 4 sq. II 3, 19. Diod. XIV 80 cf. epim.). Quo factum est, ut in tempore Cyro regis exercitus obsistere posset, cuius parti T. ipse in pugna Cunaxensi praefuit (Xen. Anab. I 7, 12 cf. 8, 9); Diodorus (XIV 23, 7) etiam regis vulnerati locum obtinuisse eum testatur. Quod autem se fortissimum in hac pugna praebuerat (Xen. Anab. I 10, 7 sq. II 3, 19), a rege magnis honoribus affectus praeter eas provincias, quas ipse antea habuerat, Cyri satrapiam accepit[1]) (Xen. Hell. III 1, 3 cf. Diod. XIV 26, 4). Notissima porro est ex Xenophontis libro perfidia, qua Graecos post pugnam ducibus privavit atque persequens eos usque ad Carduchorum fines vexabat (Xen. Anab. III 5, 1. Diod. XIV 27, 3 sq. Isocr. IV 148).

γ) Tissaphernis post Cyri mortem fata. Statim ubi ad oram maritimam devenit T., bellum inter eum et Graecos exortum est. Cum enim postularet, ut urbes Ioniae quae antea ab eo ad Cyrum defecerant, se sibi dederent, hae non

---

[1]) Diod. XIV 26, 4 quod tradit regem Tissapherni filiam in matrimonium dedisse, recte hac de re dubitaverunt viri docti. Sic Nikolai p. 46, 31 Diodori auctorem Xenophontis verba prave intellexisse, Pauli (de pace Antalcidea. Berol. 1846 p. 5, 2) nostro quoque loco Tissaphernem et Pharnabazum confusos esse putat (cf. Xen. Hell. V 1, 28. Plut. Artax. 27. Suid. s. v. κῆδος). Nisi vehementer erro Nikolai Sieversium secutus (354, 41) hoc loco verum cognovit.

solum hoc non fecerunt, sed etiam legatos Spartam de auxilio miserunt. Quorum precibus commoti Lacedaemonii Thibrone duce copias, quae Ionum urbium libertatem defenderent, in Asiam traiecerunt (399. Xen. Hell. III 1, 3 sqq. Diod. XIV 35, 6 sqq. 36, 1). T. autem frustra Cymam expugnare studuit (Diod. XIV 35, 7), Tamos imprimis Cyri expeditionis particeps cum eius classi praefuisset, in Aegyptum aufugit (Diod. XIV 35, 3 sqq.). Contra Thibron et copias, quas secum domo in Asiam duxerat, ex Ioniae urbibus magnopere auxit (Xen. Hell. III 1, 5) et Cyreos qui dicuntur exercitui suo adiunxit (Xen. An. VII 6, 1. Hell. III 1, 6). Sed brevi tempore Thibroni Dercylidas in imperio successit; qui ne simul adversus Tissaphernem et Pharnabazum pugnare cogeretur, cum Tissapherne pepigit et exercitum in Pharnabazi satrapiam abduxit [1]) (Xen. Hell. III 1, 8 sq.). Ubi Dercylidas mansit, donec Ionum legati Spartae Tissaphernem imprimis hostem ducendum esse docuerunt, quo facto Dercylidas iussus est Cariam, ubi Tissaphernis *οἶκος* [2]) esset, aggredi (497. Xen. Hell. III 2, 12). — Interea T. et Pharnabazus copiis suis coniunctis et ipsi in Cariam transgressi sunt, quam ubi praesidiis firmis tutati sunt, statim reliquerunt, ut in Ioniam redirent. (Xen.Hell. III 2, 13 sq.). Hic cum subito Graecorum atque Persarum exercitus congressi sint, quamquam Dercylidas et Pharnabazus pugnare voluerunt, Tissapherne auctore indutiae factae sunt, dum legati de pace Spartam et Susa mittendi revertissent (Xen. Hell. III 1, 15—20). Item anno sequenti (396) ubi Agesilaus in Asiam venit [3]), cum hoc quo-

---

[1]) Iustin. VI 1, 3—9 nuntiat hanc ob rem apud regem accusato a Pharnabazo Tissapherne regem in locum eius navalis belli ducem elegisse Cononem. De Conone a Persarum rege nauarchi loco constituto cf. praeterea Ctes. Pers. 63. Plut. Artax. 21. Isocr. V 63. Diod. XIV 39. Nep. Con. 4. M. Schmidt, Konon. Leipzig 1873, p. 36—38. De Cononis imperio cf. G. Busolt, der zweite att. Bund (Jahrb. f. Phil. Suppl. VII p. 670 n. 1).

[2]) *οἶκος* Nikolai p. 5 sq. intelligit ‚Residenz' cogitatque de Magnesia (cf. Thuc. VIII 50, 3); rectius vertit Breitenbachius (ad Xen. l. l.): ‚Privatgüter'. Idem significat Nep. Ages. 3, 1 verbo domicilii (Nipperdey: ‚Schlösser, Paläste').

[3]) De rebus ab Agesilao in Asia gestis cf. Haupt, Ages. in Asien. Progr. Landsb. a/W. 1874.

que Tissaphernes indutias fecit, usque dum ad regem misisset, ut Ioniae urbes liberas esse iuberet (III 4, 5); sed statim iureiurando neglecto non quod promiserat regi nuntiavit, sed ut sibi novae copiae mitterentur postulavit (III 4, 6 cf. Xen. Ages. I 10. Nep. Ages. 2. Polyaen. II 1, 8). Deinde a rege auxiliis adiutus non dubitavit plane Agesilao bellum indicere, simulque copias pedestres in Cariam transvexit, equitatum in Maeandri planitie collocavit (396. Xen. Hell. III 4, 11 sq. Nep. Ages. III 1—2). Tum cum ab Agesilao falsus esset, anno sequenti eodem modo copias divisit (Xen. Hell. III 4, 21 cf. Plut. apophth. Lac. p. 254 D. Polyaen. II 1, 9 [1]) Frontin. I 8, 12). Hoc igitur anno factum est (395), ut Agesilaus Tissaphernis equitatum devinceret (Xen. Hell. III 4, 21—24. Nep. Ages. 3, 4 sqq. Plut. apophth. Lac. Ages. 14.); qua clade simul Tissaphernes periit. Nam cum pugnae tempore Sardibus fuisset, ab inimicis apud regem gravissime accusatus est, ut rex eum cladis auctorem fuisse ratus Tithraustem mitteret, qui satrapam interficeret. Sic mortuus est Graecorum hostis callidissimus et prudentissimus vere anni 395 (Xen. Hell. III 4, 25. Diod. XIV 80. Plut. Ages. 10. Breitenbach ad Xen. l. l. [2]).

b. Dascylii satrapae.

Pharnabazum Pharnacis filium (Thuc. VIII 6, 1) patri in satrapia successisse elucet ex Xen. Hell. IV 1 33 [3]) id quod recte monuit iam Grotius V [2] p. 200 (cf. Sievers. p. 351 n. 20). Patrem autem paulo ante annum 413 mortuum esse videri, iam supra vidimus (cf. p. 35), cum Pharnabazi ipsius

---

[1]) cf. Knott, de fide et fontt. Polyaen.: dissertt. Ienens. III p. 72 sq.

[2]) Nepos (Con. 2. 3) quod narrat Tissaphernem clam a rege ad Graecos defecisse, Nikolai p. 36 sq. recte mihi exposuisse videtur hanc narrationem fictam esse et facile fingi potuisse. — Secundum Nep. Con. 4 Cononis, qui Tissaphernis accusandi causa ad regem profectus erat, auctoritate commotus rex Tissaphernem hostem iudicavit.

[3]) *ἃ δέ μοι ὁ πατὴρ καὶ οἰκήματα καλὰ καὶ παραδείσους καὶ δένδρων καὶ θηρίων μεστους κατέλιπε (ἐν Δασκυλείῳ . cf. § 15 sq.), ἐφ' οἷς κτλ.*

prima mentio nobis iniciatur hieme anni 413[1]) quo tempore Spartae frustra a Lacedaemoniis auxilia petiit, quibus satrapiae suae urbes graecas ab Atheniensium societate deduceret (Thuc. VIII 6). Quamquam tum Tissaphernis amicitia Pharnabazi anteposita est, tamen hieme anni 412 viginti septem naves Lacedaemonii miserunt, ducibus iussis aut omnibus his navibus aut parte earum Pharnabazum adiuvare (Thuc. VIII 39, 1 sq.). — Commemorantur deinde, ut iam dixi, *οἱ Φαρνάκου παῖδες* in tertio foedere inter Tissaphernem et Lacedaemonios icto (Thuc. VIII 58). Vere autem anni 411 cum parvo exercitu Dercylidam ad Pharnabazum missum esse audimus, qui ut Abydus[2]) et Lampsacus ad satrapam deficerent effecit (Thuc. VIII 61 sq.). Item cum naves antea a Lacedaemoniis missae ad Pharnabazum non venissent, aestate anni 411 Pharnabazo auctore quadraginta Peloponnesiorum naves in Hellespontum profectae sunt, ut Lacedaemonii sibi a Pharnabazo pecunias pararent; quarum parte maiore tempestatibus repulsa decem modo quo debebant pervenerunt (Thuc. VIII 80). Denique saepius a Tissapherne deceptus paulo post Mindarus cum tota classe Pharnabazo iterum iterumque vocanti auxilio venire constituit (c. 99).

Inde ab hoc tempore Pharnabazum Lacedaemonios fortiter adiuvare videmus[3]): sic hieme ad Abydum Peloponnesiis ab Atheniensibus magnopere vexatis auxilio venit (Xen. Hell. I 1, 6). Porro Diodoro testante (XIII 49, 4) cum Mindaro Cyzicum cepit; contra in sequenti pugna ad Cyzicum commissa Xenophon eius fere nullam facit mentionem[4]), cum narret ante

---

[1]) Tum Pharnabazus circiter triginta septem annos natus fuit; nam cum maior esset natu quam Agesilaus rex (Xen. Hell. IV 1, 31), quem anno 442 natum fuisse verisimile est (Hertzberg: Pauly, Realencycl. I 548. 553 n.), ipse circa annum 450 est natus.

[2]) Abydi Dercylidas postea *ἁρμοστής* fuit, ubi a Pharnabazo accusatus *ἀταξίας ζημίωμα* passus est (cf. Xen. Hell. III 1, 9 c. Breitenb. adn. IV 8, 3 sqq.).

[3]) Hermocratem quoque Syracusanum ab eo adiutum esse tradit Xen. Hell. I 1, 31. Diod. XIII 63.

[4]) Apud Diodorum (XIII 50 sq.) Pharnabazi copiae plus efficiunt. cf. Aristid. Panath. p. 405a. 12 sqq. Bkk. De Polyaeno cf. Knott p. 83.

pugnam Pharnabazum quoque Cyzici fuisse (Xen. Hell. I 1, 14), deinde pugna commissa cum Peloponnesiis urbem reliquisse (§ 19) et militibus ne animos demitterent largiter donatis imprimis ut nova classis aedificaretur curasse (§ 24 sq.). Item hieme anni 410 cum Alcibiades Abydum aggrederetur, Pharnabazus cum equitibus (cf. Plut. Alc. 29) urbi auxiliaturus ita funditur, ut Alcibiades eum usque ad vesperem persequeretur (Xen. Hell. I 2, 16). Deinde Alcibiade Chalcedonem oppugnante aestate anni 409 Pharnabazus urbem servare studet; sed infecta re ad Chalcedoniorum Heracleum, ubi castra habuit se recipere cogitur (Xen. Hell. I 3, 5—7). Sed non multo postea Pharnabazum cum Atheniensibus agentem invenimus; constitutum enim est, ut Ph. Atheniensibus pro Chalcedoniis [1]) viginti talentis persolutis [2]) Atheniensium legatos ad regem duceret, Athenienses autem, donec legati redirent, Chalcedonem nullo modo premerent (Xen. Hell. I 3, 8. 9. cf. Plut. Alc. 31. Diod. XIII 66, 3); quod foedus secundum Xenophontem (Hell. I 3, 11 sq.) Alcibiades et Ph. iureiurando firmaverunt. Pharnabazo autem cum Atheniensium legatis [3]) ad regem profecto (§ 13), ubi per hiemem Gordii moratus est, cum vere anni 408 iter pergere coepisset, obviam ivit Cyrus a rege caranus factus, qui cum Lacedaemonios iuvare iussus esset, Pharnabazo ut legatos retineret mandavit (Xen. Hell. I 4, 1—5. cf. p. 41). Annis sequentibus, dum Cyrus in Asia minore versatur de Pharnabazo fere nihil comperimus; quae audimus haec sunt.

Diod. XIII 104 igitur narrat Mileti ab optimatibus Lacedaemoniis adiuvantibus rempublicam eversam eorumque, qui eis obstabant, magnum numerum esse necatum; deinde pergit: *οἱ δὲ χαριέστατοι τῶν τὰ τοῦ δήμου φρονούντων — ἔφυγον πρὸς Φαρνάβαζον τὸν σατράπην· οὗτος δὲ φιλοφρόνως αὐτοὺς προσδεξάμενος καὶ στατῆρα χρυσοῦν ἑκάστῳ δωρησάμενος, κατῴκισεν εἰς Κλαῦδα φρούριόν τι τῆς Κλαυδίας.* Quae verba compluribus

---

[1]) Nescio quo spectent ea quae narrat Arr. fragm. 61 (F. H. Gr. III 597).

[2]) cf. Boeckh. Staatshh. II² p. 589. Breitenbach ad Xen. l. l. Campe, die Kämpfe der Pelop. u. Athen. im Hellesp. Jahrb. 105. 1872 p. 719 sq.

[3]) De Lacedaemoniis, qui huic legationi intererant Atheniensium cf. K. Trieber, die spart. Gesandt. i. J. 408: Jahrb. 101 p. 183—186.

de causis commemoratione digna sunt. Ac primum quidem Nikolai p. 44, 20 putavit hic non intelligendum esse Pharnabazum sed ut aliis quoque Diodori locis (de quibus vide epim.) Tissaphernem, cum dicat: Dass gerade Pharnabazus, der es treu mit den Lacedaemoniern gehalten hatte und noch hielt, die von den Lacedaemoniern mit vertriebenen Demokraten bei sich aufgenommen und beschenkt habe, ist nicht sehr glaublich (cf. Plut. Lys. 19. 20). . . . . . Viel wahrscheinlicher ist die Unterstützung der vertriebenen Demokraten von Seiten des Tissaphernes, der bei seinen heimlichen Verbindungen mit Athen und seinem heftigen Hass gegen die Spartaner, deren Anklagen er seine Entfernung zuzuschreiben hatte, gewiss die demokratische Partei in Milet begünstigte, wie dies aus den späteren Kämpfen zwischen ihm und Kyrus um den Besitz Milets hervorgeht (Xen. Anab. I 1, 7). Die wahrscheinlichste Annahme dürfte sein, dass die oligarchische Partei in Milet sich an den laconisirenden Kyros, die demokratische an den Tissaphernes anschloss. Omnia, quae his in verbis vituperanda sunt cum longum sit persequi de paucis admoneo. Iam illud valde dubito, num liceat talem nominum confusionem eis quoque Diodori locis statuere, ubi nullis aliorum scriptorum locis adiuvamur; quod equidem nisi certissima adsunt argumenta recte fieri nego. Accedit autem quod Pharnabazus dum exules excipit, nullo modo Lacedaemonios offendit; nam primum Lacedaemonii non singulos populares persecuti sunt, sed totius civitatis statum mutare voluerunt. Quare cum populares perdere non in animo haberent, non erat causa cur irascerentur, cum Pharnabazus eis locum ubi habitarent dedit; contra eis gratum esse debuit, si exules confugerunt ad virum ipsis non inimicum, per quem ne vi reducerentur non erat timendum, neque vero huc illuc errantes quaerebant, quis ipsos in patria restitueret. Porro notum est Miletum tum Tissaphernem obtinuisse (cf. p. 42); quare si Tissaphernes popularibus favit, quomodo omnino civitatis status mutari potuit? Cyrum autem ut putat Nikolai, optimates adiuvisse non solum non traditum est, sed etiam e Diodori verbis apparet Lysandrum unum, qui tum cum Cyrus et Tissaphernes ipsi ad regem profecti essent, in Asia

minore plurimum valebat (Xen. Hell. II 1, 14) hac in re aliquid effecisse[1]). Neque igitur causa est cur miremur, quod exules se contulerunt ad eum virum, qui tum praeter Lysandrum unus in Asia minore multum pollebat Pharnabazum.

Sed altera iam existit quaestio, num nomina *Κλαῦδα φρούριόν τι τῆς Κλαυδίας* integra sint, quod et viri docti negaverunt neque ego mihi persuadere possum fuisse in Pharnabazi satrapia, cuius fines infra accuratius definire conabor regionem *Κλαυδίαν*, de qua nullo alio loco neque Graecorum neque Romanorum rerum scriptoris docemur. Mihi igitur non dubium est, quin *Κλαυδίας* sit corruptum propter antecedens nomen *Κλαῦδα*. Mitto autem Palmerii[2]) coniecturam, quae nulla re commendatur quamque nemo unquam quantum scio probavit; nunc enim in omnibus ni fallor Diodori editionibus ea legimus quae scripsit Wesselingius: *Βλαῦδα φρούριόν τι τῆς Λυδίας*[3]). *Βλαῦδα φρούριον* igitur eundem esse vult locum, quem invenimus apud Steph. Byz. (*Βλαῦδος πόλις Φρυγίας ἀπὸ Βλαύδου τοῦ τὸν τόπον πρῶτον εὑρόντος, ὡς Μενεκράτης*), et apud Strabonem p. 567 C. (*τούτων* sc. *τῶν Τεκτοσάγων δ᾽ ἦν φρούριον Ἄγκυρα ὁμώνυμος τῇ πρὸς Λυδίαν περὶ Βλαῦδον πολίχνῃ Φρυγιακῇ*) ut putet duplicem adhibitam esse formam nominis ut *Λαμπώνιον* et *Λαμπώνεια* (cf. Her. V 26. Steph. Byz. s. v. *Λαμπώνεια*)[4]). Sed Wesselingii quoque coniectura est reicienda quia primum ut ex locis laudatis perspicuum est, Blauda non in Lydia sed in Phrygia sita est, deinde quia Pharnabazus in Lydiae, quam non possedit, castello neminem excipere potuit. Quas offensiones fortasse facillime tolleremus, si scriberemus: *Βλαῦδα φρούριόν τι τῆς Φρυγίας*, quod cum *Κλαυδίας* illud una

---

[1]) cf. Gehlert, vita Lysandri. Bautzen. Progr. 1874 p. 19 sq. Plut. Lys. 8. Polyaen. I 45, 1.

[2]) Scribere voluit: *Κλαῦδα φρούριόν τι τῆς Αἰολίδος*; Palmerii verba invenis in Wesselingii Diodori editione vol. V p. 630 sq.

[3]) Rangabé, antiquités hell. I p. 298: on approcherait peut-être plus de la vérité en lisant *Βλαυνδεῖς* pour *Κλαυνδεῖς* (*B* pour *K*) de *Βλαῦδα* qui cependant était une ville de Phrygie: Strabo p. 567 c.

[4]) *Λαμπώνεια πόλις Τρῳάδος. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ. τὸ ἐθνικὸν Λαμπωνεύς. Ἑλλάνικος δὲ Λαμπώνιον αὐτήν φησι καὶ τὸ ἐθνικὸν Λαμπωνιεύς.*

forma *Κλαῦδα* effectum sit, non difficilius est quam *Λυδίας*. Sed omnino dubito, utrum recte viri docti mutaverint illud *Κλαῦδα*, cum equidem non mirer, quod castellum uno modo loco commemoratur. Si autem *Κλαῦδα* servamus, utrum sic quoque *Φρυγίας* fortasse scribere liceat an non vix dici potest. — Item in Cyri tempora incidit Alcibiadis, qui se ad Pharnabazum contulerat (Nep. Alc. 9. Plut. Alc. 37) caedes, cuius Pharnabazum fuisse auctorem satis notum est (Clinton: anno 404) [1]. — Denique hic narratiuncula illa commemoranda est Lysandrum extremo belli Peloponnesiaci tempore a Pharnabazo dolo Spartae accusatum esse (Plut. Lys. 19 sq. Nep. Lys. 4. Polyaen. VII 19), qua accusatione commotus secundum Plutarchum Lysander iter ad Ammonis templum fecit (cf. contra Nep. Lys. 3. Paus. III 18, 2).

In Cyri contra fratrem bello, quod sequitur Pharnabazi non fit mentio; eo demum tempore, quo decem illa milia Graecorum ad oram maritimam Xenophonte duce reverterunt, Pharnabazum Phrygiam ab eis defendere studuisse (Xen. Anab. VI

---

[1]) Pharnabazus apud scriptores, qui nos de Alcibiadis caede certiores faciunt non pari modo huius facinoris auctor est. Extat enim narratio apud Plut. Alc. 39, in qua Pharnabazus nequaquam commemoratur, sed fratres mulieris ab Alcibiade corruptae, quam secum habebat, *τὴν ὕβριν οὐ μετρίως φέροντες* domum incenderunt Alcibiadem ipsum telis necaverunt (cf. Hertzberg, Alcib. p. 139. 47). — Unus contra Pharnabazus caedem parat apud Ephorum (Diod. XIV 11); narravit enim Ephorus Pharnabazum Alcibiadem occidisse, quia Alcibiades Cyri consilia cognita regi detegere voluisset, Pharnabazum autem ab Alcibiade de tota re certiorem factum nuntio ad regem misso prohibere voluisse, ne rex Alcibiadi Cyri consiliorum retectorum gratiam referret. — Secundum Plutarchum (Alc. 38 sq.) Critias Lysandrum monuit Alcibiade vivo Lacedaemoniorum imperium Athenis tutum non fore, quo facto Lysander a Pharnabazo Alcibiadis mortem postulavit. (Fricke, Unters. über die Quellen des Plut. im Nik. und Alc. Leipz. 1869 p. 99 sqq. Plutarchi fontem Theopompum esse putat.) Item Lacedaemonios auctores nominant Isocr. XVI 40 et Diod. XIV 11 § 1; compluribus porro erroribus deformata est Iustini narratio (V 8, 12 sqq.), de qua conf. Enmann, die Quellen des Trogus p. 85. Fricke l. l. cf. Athen. XIII 574e.). — Nep. Alc. 9. 10 denique cum Plutarcho consentit; neque vero negligendum est eum simul Ephori narrationem ante oculos habuisse, quod docemur c. 9, 5.

4, 24. 5, 7. 30) et id egisse audimus, ut quam celerrime copiae illae ex Asia in Europam traiicerentur (An. VII 1, 2).

Eae autem Pharnabazi res, quae ad annos sequentes pertinent, iam cum de Tissapherne dissereremus, pleraeque tactae sunt: sic foedus inter Tissaphernem et Dercylidam ictum (Xen. Hell. III 1, 9), quo Dercylidas (399) ut Pharnabazi Aeolidem invaderet incitatus est (Xen. Hell. III 1, 10. 16), cuius provinciae Pharnabazi ὕπαρχος Mania Zenis uxor paulo ante a genero Midia interfecta erat, quo facto hic ipse Pharnabazo invito imperium sibi sumpserat (Xen. Hell. III 1, 10—15). Tum igitur iam post paucos dies inter Pharnabazum et Dercylidam convenit pacem esse per hiemem; quo facto Dercylidas Pharnabazo probante in Bithynia hiemavit (Xen. Hell. III 2, 1 sq.); quae indutiae vere ineunte statim redintegratae sunt (§ 9 cf. Diod. XIV 38). Deinde Pharnabazo auctore Conon Persarum classi praefectus est (cf. p. 44 n. 1). Sequitur tempus (a. 397) quo Tissaphernes et Ph. coniungunt copias neque vero cum Dercylida manus conserere audent (Xen. Hell. III 2, 13—20). Ad annum autem sequentem spectat Spithridatis Pharnabazi hyparchi a Pharnabazo defectio (Xen. Hell. III 4, 10. Ages. III 3. Plut. Lys. 24).

Tissapherne mortuo Pharnabazi conditio non fuit melior, cum Tithraustes quoque Agesilao persuaderet (395), ut ex ipsius provincia discedens Pharnabazi finibus bellum inferret (Xen. Hell. III 4, 26); quare Agesilaus aestate Pharnabazi Phrygiam ferro ignique vastavit multasque urbes cepit (IV 1, 1). Imprimis autem sequenti hieme Pharnabazus premebatur, cum Agesilaus prope eius satrapiae caput Dascylium hiemaret (IV 1, 15 sq.); bis tunc Pharnabazi milites cum Agesilai exercitu manus conseruerunt, quorum proeliorum priore Pharnabazus Agesilai milites frumentandi causa vagantes fugavit (§ 17—19), in altero Agesilai socii Pharnabazi milites vicerunt castraque ceperunt (§ 20—25). Deinde initio anni 394 ut videtur Apollophane quodam auctore Pharnabazus cum Agesilao convenit promisitque se cum Lacedaemoniis copias suas coniuncturum esse, si rex alium caranum mitteret Pharnabazumque illi parere iuberet (Xen. Hell. IV 1, 29—38. Plut. Ages. 12 cf. Sievers

p. 57, 50); quo facto Agesilaus e Pharnabazi satrapia discessit (Xen. Hell. IV 1, 41). Quo eodem iam anno Agesilaus ad bellum Corinthium gerendum revocatus est ex Asia (IV 2, 2), quod Polyaenus (I 48, 3) Conone suadente Pharnabazum argento movisse narrat. — Tempore autem sequenti plura Ph. efficit; nam media aestate anni 394 (Clinton) ipse *ναύαρχος* cum Conone Lacedaemonios apud Cnidum devincit (Xen. Hell. IV 3, 10), post pugnam Lacedaemoniorum harmostis ex insulis et urbibus maritimis expulsis illas suis legibus uti permittit (IV 8, 1. cf. Diod. XIV 84, 3—6). Postea cum Dercylidam Abydi harmostam hanc urbem iam obtinere audiret simulque Sestum occupasse, Conon cum classe, Ph. ipse cum exercitu illas in regiones profecti sunt (Xen. Hell. IV 8, 3—5). Ubi cum nihil proficere possent, hieme appropinquante Ph. Cononem ibi reliquit, ipse Dascylium rediit (IV 8, 6). Vere anni 393 Ph. et Conon iterum cum classe profecti Laconiae ora maritima vastata Lacedaemoniorum hostes pecuniis adiuverunt (IV 8, 7—8); deinde Conon a Pharnabazo pecuniis instructus Athenas se contulit, ut muros longos iterum aedificandos curaret (§ 9 sq. cf. Nep. Con. IV 5). De rebus a Pharnabazo satrapa gestis nihil amplius postea audimus. Colligere quidem possumus ex Xen. Hell. IV 8, 33 (*ὁ δὲ [Ἀναξίβιος] ἐπειδὴ ἀφίκετο, κατὰ γῆν μὲν ἀθροίσας ξενικὸν τῶν τ' Αἰολίδων πόλεων παρεσπᾶτό τινας τοῦ Φαρναβάζου κτλ.*) Aeolidem usque ad illud tempus Pharnabazi fuisse (C. Rehdantz, vitae Iphicratis Chabriae Timothei Atheniensium. Berol. 1845 p. 242). Num illo tempore (390/89) ipse in Aeolide affuerit incertum est. Certe e satrapia discesserat anno 387 (Xen. Hell. V 1, 28): *συνεπληρώθησαν δὲ καὶ (νῆες) ἐκ τῆς Ἀριοβαρζάνους, καὶ γὰρ ἦν (Ἀνταλκίδας) ξένος ἐκ παλαιοῦ τῷ Ἀριοβαρζάνει, ὁ δὲ Φαρνάβαζος ἤδη ἀνακεκλημένος ᾤχετο ἄνω, ὅτε δὴ καὶ ἔγημε τὴν βασιλέως θυγατέρα.* Ariobarzanem ei tum successisse [1]) satis manifestum est. Nomen regis filiae Pharnabazo in matrimonium datae praebet Plut.

---

[1]) Vocabulum *ἀρχή* quomodo apud Xen. Hell. IV 1, 40 intelligendum sit, mihi quidem demonstratur verbis Plutarchi quae huc spectant (Ages. 13. cf. Sievers. p. 356, 52).

Artax. 27, ubi *Ἀπάμαν* eam nominat[1]). Sane satis senex gener Ph. tum fuit, si circiter annum 387 rex ei filiam in matrimonium dedit.

Ceterum deinde Ph. bis in Aegypto bella gerens invenitur; primum circa annos 391—389[2]) (cf. Rehdantz p. 241 sq.) simul cum Abrocama et Tithrauste (Isocr. IV 140 cf. Sievers p. 368, 114), deinde inde ab anno 379 usque ad annum 374[3]) (Diod. XV 29. 41—43. Polyaen. III 9, 38. cf. Schaefer, Demosthenes I 15. 23), quorum temporum nummi esse videntur Pharnabazi, quos habemus (cf. Brandis, Münz-, Mass- und Gewichtswesen in Vorderasien p. 427. 429). In aula regia denique commemoratur Nep. Dat. 4.

Circa Ol. CI, si Meinekii sententiam probamus (hist. crit. com. graec. p. 414) eius in Antilaide comoedia mentionem fecit Epicrates (fragm. com. graec. vol. III p. 366):

καὶ Λαῒς ὀρθῶς γοῦν νομίζοιτ᾽ ἂν τέρας·
αὕτη γὰρ ὁπότ᾽ ἦν μὲν νεοττὸς καὶ νέα
ὑπὸ τῶν στατήρων ἦν ἀπηγριωμένη,
εἶδες δ᾽ ἂν αὐτῆς Φαρνάβαζον θᾶττον ἄν.

c. Ciliciae satrapae.

Ciliciae Cyri tempore ultimus Syennesis nominatur, cuius uxor Epyaxa ad Cyrum iam dum in Caystri campo versatur venit, ubi ei pecunias dedit familiarissimeque cum eo vixisse dicitur (Xen. Anab. I 2, 12). Quam Cyrus e Lycaonia quousque secum ducebat, cum Menone eiusque copiis in Ciliciam misit (§ 20). Syennesis autem ipse cum interea Ciliciae portas quae dicuntur occupavisset, ubi Cyro appropinquante Menonem iam in Ciliciam intrasse simulque classem Tamo duce

---

[1]) Nep. Con. 2 iam tum cum Conon ad Pharnabazum venit, eum regis generum appellat.

[2]) Lachmann II p. 350 hoc bellum paulo post pacem Antalcideam ponit: 386—383.

[3]) Huc Lachmann II p. 383 refert verba Nepotis (Dat. 3), regem Pharnabazum ex Aegypto revocasse; Datamem inter annos 379—377 in Aegypto fuisse concludit Nipperdey ea ex re, quod discedens non Iphicratem, qui 377 in Aegyptum venit, sed Mandoclem copiis praefecit.

Ciliciam petere audivit, praesidium reliquit, ipse defugit. (§ 21. cf. Xen. Hell. III 1, 1). Quin etiam postquam Cyrus prope Tarsum pervenit, e capite provinciae aufugit et *εἰς χωρίον ὀχυρὸν ἐπὶ τὰ ὄρη* se recepit (Xen. An. I 2, 24). Unde cum Cyro vocante redire nollet, uxoris verbis commotus tandem ad Cyrum venit, ubi magnis pecuniis ad bellum gerendum editis et ipse a Cyro donis honoratus est (§ 26 sq.) — Qua ex Xenophontis narratione[1]) cum Grotius (V[2] p. 15) iam Syennesis perfidiam cognosci posse censeat, planis verbis de ea nos docet Diodorus (XIV 20, 1—3), qui narrat Syennesim alterum filium Cyrum sequi iussisse, alterum misisse ad regem, ut illum de Cyri consiliis doceret simulque se ipsum purgaret. Idem vult Ctes. Pers. 58 cum dicat: *ὅπως δὲ Συέννεσις ὁ Κιλίκων βασιλεὺς ἄμφω συνεμάχει, Κύρῳ τε καὶ Ἀρτοξέρξῃ.*

De Cyri Pharnabazi Tissaphernis satrapiarum ambitu.

Quoniam quam brevissime horum satraparum, de quibus plurima nobis tradita sunt ab antiquis auctoribus, res gestas enarravimus, videamus nunc, quaenam regni persici provinciae uniuscuiusque satrapiae traditae fuerint.

Planis igitur verbis docemur de Cyri satrapia per Xenophontem (Anab. I 9, 7): *κατεπέμφθη ὑπὸ τοῦ πατρὸς σατράπης Λυδίας τε καὶ Φρυγίας τῆς μεγάλης καὶ Καππαδοκίας*; minus accurate dicit Diod. XIV 19: *Κῦρος ὁ τῶν ἐπὶ θαλάττης σατραπειῶν ἡγούμενος*, et XIV 12: *ἄρχων ἀποδεδειγμένος τῶν ἐπὶ θαλάττης σατραπειῶν* et Plut. Artax. 2: *Λυδίας σατράπης* etc.[2]) Neque vero cum Xenophonte consentire videtur Diod.

---

[1]) De Xenophontis narratione miram vide Kruegeri sententiam (de auth. et integr. Anab. p. 4 = krit. Anal. Berol. 1874 III p. 118 sq.) et de discrepantiis, quae omnino in Cyri expeditione enarrata inveniuntur inter Xenophontem et Diodorum: Volquardsen, die Quellen Diodor's. Anh. V p. 131 sq.; O. Kaemmel, die Berichte über die Schlacht bei Kunaxa. Philol. XXXIV 1876 p. 516 sqq.; R. Neubert, de Xenoph. Anab. et Diod., quae est de Cyri exped., parte biblioth. Lips. 1881 p. 25 sqq.

[2]) Roscher, Klio I p. 499 dicit: Cyrus war Vizekönig von ganz Vorderasien.

XIV 19, 6: cum narret Cyrum bellum contra fratrem incohantem Lydiam et Phrygiam cognatis Persis, Ioniam et Aeoliam Tamo amico[1]) fideli credidisse, de quo c. 35, 3 dicitur: *Ταμὼς δὲ μέγιστος ὢν αὐτῶν* (i. e. Cyri praetorum) *καὶ τῆς Ἰωνίας ἀφηγούμενος κτλ.* Quod igitur hic Ionia Cyro tribuitur non miramur, cum meminerimus Ioniae urbes, quae diu Tissapherni subditae fuerant, praeter Miletum ad Cyrum desciisse (Xen. Anab. I 1, 6); difficilior est quaestio de Aeolide. Equidem quamquam Diodori verbis nimium tribuere vereor, tamen putem aut Cyrum, cum postea Tissaphernem quoque Cyri successorem Aeolidis partem ad meridiem vergentem inveniamus obtinentem, eandem partem a rege accepisse aut cum Ionia hanc quoque Tissaphernis provinciam ad eum defecisse, ut eius *ὕπαρχον* relinquere deberet. Tissaphernem autem Cyri successorem postea Aeolidis partem meridionalem obtinuisse non cum Grotio IV² p. 284 coniciam e verbis Thucydidis (VIII 108), quo loco demonstrari putat Atramyttium et Antandrum urbes fuisse Tissaphernis satrapiae. De his enim urbibus dubito. Nam cum supra commemoraverimus anno 422 Atramyttium Dascylii satrapae subditum fuisse (cf. p. 35), cumque e Xen. Hell. I 1, 25 ubi Antandri naves aedificari iussisse dicitur Pharnabazus, eluceat anno 410 Antandrum eius fuisse satrapiae persuadere mihi non possum anno 411 has easdem urbes in Tissaphernis satrapia fuisse. Quare adsentior Sieversio p. 352 sq., qui Thucydidis (VIII 108) verba ita intelligit, ut non dicatur de copiis, quas Tissaphernes ut satrapa in Antandri arce et circa Atramyttium habuit, sed ut *κάρανος* sive *στρατηγὸς τῶν κάτω* (cf. Thuc. VIII 5, 4). Sed ut dixi de his urbibus potest dubitari[2]). Porro quaerendum est, quid probe-

[1]) Tamos iam antea Tissaphernis Joniae *ὕπαρχος* fuerat (Thuc. VIII 31. 87); de nominis Ioniae apud Thucydidem sententia cf. Steup, Rhein. Mus. XXXV 1880 p. 327 sq.

[2]) Fortasse mirabitur aliquis quod Agesilaus (Xen. Hell. IV 1, 41) discedens e Pharnabazi provincia castra ponit ad Astyra prope Atramyttium sita (Strabo XIII 606 C.), quo coniciat ne Atramyttium quidem fuisse Pharnabazi; sed relinquit illo loco Phrygiam minorem ubi hiemaverat Agesilaus (Xen. Hell. IV 1, 16); Aeolis quia a Graecis occupata est, non iam his temporibus habetur Pharnabazi satrapia.

tur altero loco quem legimus Xen. Hell. III 1, 6 sqq. Id igitur apparet e paragraphis 10 sqq. Aeolidem supra sinum Atramyttenum situm fuisse partem Pharnabazi satrapiae; neque vero ea re, quod haec pars *Φαρναβάζου Αἰολίς* nominatur cognoscimus, utrum Aeolis meridionalis alius fuerit satrapae an item Pharnabazo antea paruerit. Nam etiamsi Pharnabazo a rege Aeolis meridionalis quoque tradita esset, tum ubi Thibroni nonnullae urbes se dederunt, non tam Pharnabazi provincia quam *χώρα φιλία* erat (cf. Xen. Hell. III 1, 8. 2, 1), quare a Xenophonte Pharnabazi Aeolidi opponi potest. Mihi autem certum esse videtur Aeolidem meridionalem fuisse Tissaphernis propterea, quod quamdiu Thibron in his regionibus moratur nunquam Pharnabazus, sed unus Tissaphernes adversari narratur (Xen. Hell. III 1, 6), Pharnabazus tum demum, ubi Dercylidas trans sinum Atramyttenum progressus est (§ 17). Huc autem exercitum Dercylidas confestim ducit, ubi cum Tissapherne pepigit (§ 9), ut vix dubium esse possit, quin eo properans Tissaphernis satrapia excedere velit. Circa sinum Atramyttenum igitur ut Atheniensium provinciae Ioniae atque Hellespontiae (Boeckh Sthh. II² p. 607. 609), ita nisi vehementer erro, Tissaphernis atque Pharnabazi satrapiarum finis fuit. Quare apud Xen. Hell. III 2, 13 (*Φαρνάβαζος*) *τῆς Αἰολίδος χαλεπῶς ἔφερεν ἀπεστερημένος*, Aeolidem septentrionalem unam intelligemus [1])

Videamus igitur nunc quas provincias Pharnabazus habuerit praeter hanc Aeolidis partem. Ac primum quidem dubium esse non potest, quin Phrygia minor sive Hellespontia eius satrapiae fuerit. Nam cum satis constet sedem Pharnabazi fuisse Dascylii (Xen. Hell. IV 1, 15), ubi Phrygiae minoris satrapam fuisse notissimum est, tum haec Phrygia Pharnabazo

---

[1]) Pugnare cum eis, quae modo exposui videntur ea, quae tradit Nep. Alc. 8, 3: «Alcibiades cernens nullum locum sibi tutum in Graecia propter potentiam Lacedaemoniorum ad Pharnabazum in Asiam transiit . . . . namque ei Grynium dederat, in Phrygia castrum, ex quo quinquagena talenta vectigalis capiebat». Sunt qui dubitaverint, num hoc Phrygiae castrum sit urbs illa satis nota Aeolidis (Pauly, Realencycl. III p. 974), quam Tissapherni subditam fuisse vidimus (cf. Xen. Hell. III 1, 6); Aeolidis

plane tribuitur apud Xen. Hell. III 2, 1: *ὁ μέντοι Φαρνάβαζος νομίσας τὴν Αἰολίδα ἐπιτετειχίσθαι τῇ ἑαυτοῦ οἰκίσει Φρυγίᾳ σπονδὰς εἵλετο* et III 4, 26: *ὁ δὲ λαβὼν ᾔει ἐπὶ τὴν Φαρναβάζου Φρυγίαν.* — Phrygiam autem maiorem quoque aliquando fuisse Pharnabazi suspicatus est Sieversius p. 352 n. 22, quia Xen. Hell. III 1, 13 dicit: *συνεστρατεύετο (Μανία) τῷ Φαρναβάζῳ καὶ ὁπότε εἰς Μυσοὺς ἢ Πισίδας ἐμβάλλοι.* Breitenbachius quidem (ad. l. l.) putavit agi de carani bellis quibus Pharnabazus quoque cum satrapiae copiis interesse coactus esset; quod Sieversius ea de causa reiecisse videtur, quia caranum contra Pisidas aut Mysos cum omnibus copiis profectum esse non esset verisimile, multo facilius Xenophontis verba intellegerentur, si putaremus ante Cyri adventum Pharnabazum Phrygiam maiorem quoque Pisidis affinem habuisse praeter minorem, quas antea una satrapia coniunctas fuisse notum est (cf. Her. III 90). Quod si probabimus, simul credemus Maniam iam ante Cyri adventum marito mortuo successisse, quod ne existimemus nulla quantum scio re impedimur, praesertim cum e Xenophontis verbis (Hell. III 1, 12 sqq.) sequi videatur diutius Maniam munere mariti sui functum esse. Sed cum saepissime apud Xenophontem legamus, quantum laborem Persis Mysi et Pisidae effecerint (Anab. I 6, 7. II 5, 13. III 2, 24 sq. I 1, 11.) Cyrumque ipsum cum his duabus gentibus bellasse, Breitenbachii sententia mihi quidem satis probabilis est. — Illis Anabasis ex locis cum nemo non videat ne Mysos quidem regi fideliter paruisse, quod apud Xenophontem (Hell. IV 1, 24) in Pharnabazi exercitu Mysorum copiae commemorantur, fortasse dubitare licet, utrum hae fuerint regionis tum satrapae vere obedientis an mercennarii, quos Pharnabazus in exercitum

---

esse urbem putant Hertzberg, Alcib. p. 357 n. 8 et Nipperdey ad Nep. l. l. Sed praeterquam quod offendimur verbis ‚in Phrygia castrum‘ de Aeolidis urbe adhibitis, accedit, quod e Xen. Hell. III 1, 6 cognoscimus Grynium Aeolidis a Persarum rege Gongylo Eretriensi eiusque familiae datum fuisse, cuius anno 399 quoque fuit, ut circiter annum 404 Alcibiadi permissum esse minime verisimile sit. Quibus de causis fortasse aut aliud Grynium oppidum apud Nepotem intelligendum aut nomen in codicibus corruptum esse putabimus.

suum receperat. — Unum restat, quod (Xen. An. VII 8, 25) Pharnabazus *Βιθυνῶν ἄρχων* appellatur, quae res quantum scio nullo alio loco traditur. Neque ignotum est Krügerum (de auth. et integr. anab. p. 7 sqq. = Krit. Anal. III p. 121 sqq.) aliosque editores hanc et sequentem paragraphum eiecisse compluribus de causis. Ac mihi quidem ut id constat non esse Xenophontis hunc libri exitum, ita nequaquam dubito, quin satis antiquae hae paragraphi atque e nescio quo alio scriptore huc sint transpositae[1]). Quod si putamus pleraque, quibus viri docti offenduntur, tolli puto; quomodo et populi satrapaeque, quos Xenophon nominat omitti, et alia gens — *Ἑσπερίτας* dico — addi potuerit intelligimus. De Syriae Assyriaeque quidem satrapia, cum etiam vir harum rerum longe peritissimus Nöldekius (Herm. V p. 456) verum se invenisse neget, iudicare non audeo; item quod Arabia et Phoenicia hic inter se coniunctae inveniuntur miror: sed de his rebus ea imprimis de causa nequimus recte sentire, quia scriptoris cuius sunt hae paragraphi non cognovimus usum Assyriae et Arabiae nominum satis dubiae sententiae. De Lydiae autem Phrygiae Cappadociae satrapis (*ἄρχοντες*) in illis paragraphis enumeratis verisimillimum est huc esse referenda Diodori verba (XIV 19, 6) iam supra allata, esse *ὑπάρχους* illos, quos Cyrus in satrapiae suae partibus ut vicarios belli initio reliquit[2]). Itaque non est parvi momenti, quod hic Bithynorum quoque satrapam fuisse Pharnabazum legimus, neque dubito, quin revera Bithynia fuerit Dascylii satrapiae etiamsi levi modo vinculo adiecta. Nam quam incerta fuerit Bithyniae possessio optime docet Xen. Hell. III 2, 2: *ὡς δὲ ταῦτα ἐγένετο* (sc. *σπονδαὶ Δερκυλίδου καὶ Φαρναβάζου*) *ἐλθὼν ὁ Δερκυλίδας εἰς τὴν Βιθυνίδα Θρᾴκην ἐκεῖ διεχείμαζεν, οὐδὲ τοῦ Φαρναβάζου πάνυ τι ἀχθομένου· πολλάκις γὰρ οἱ Βιθυνοὶ αὐτῷ ἐπολέμουν.* — Apparet igitur ex eis, quae de Pharnabazi satrapia disputavi, quam perversa sit

[1]) Simili modo illis imprimis temporibus scriptores compluria in librorum finibus complexos esse docemur Ctes. Pers. 64.

[2]) Idem sentit Ed. Meyer, das Königreich Pontus. p. 26 sq.

Nepotis sententia (Con. 2, 1), qui Pharnabazum satrapam Lydiae et Ioniae appellat.

Restat igitur, ut de Tissaphernis satrapiae ambitu quaeramus. Atque, unde est proficiscendum, scimus post Cyri mortem praeter Aeolidem meridionalem Tissaphernem habuisse et Cyri satrapiam et eam, cui ipse Cyri temporibus praefuerat (Xen. Hell. III 1, 3. Anab. II 5, 11). Quare manifestum est tum ei paruisse Lydiam Phrygiam Cappadociam (Xen. Anab. I 9, 7), Ioniam (I 1, 6), praeterea autem Cariam, cum ibi esset Tissaphernis *οἶκος* (Xen. Hell. III 2, 12. 4, 12. cf. p. 44. Sievers. p. 351 n. 14); simul igitur elucet, cum Cyri satrapiam cognoverimus, Tissaphernem dum Cyrus Sardibus fuit, praeter Ioniam Cariae quoque praefuisse. Utrum Aeolis ei tum an Cyro a rege data fuerit, incertum esse iam supra commemoravi [1]. — Postremo de Tissaphernis ante Cyri adventum satrapia, quae nota sunt, ut habeas, constat de Lydia, quam accepit post Pissuthnis mortem (Ctes. Pers. 52. cf. Thuc. I 115. Diod. XII 27), deinde de Ionia e Thuc. VIII 5, 5, ubi rex Ioniae urbium tributa ab eo postulat et e Thuc. VIII 31 coll. c. 87, ubi Tamos Ioniae *ὕπαρχος* Tissaphernis *ὕπαρχος* appellatur. Item Cariam iam tum Tissaphernem, ubi ab Atheniensibus defecit, accepisse cum non sit traditum, tamen unicuique verisimile erit.

Hoc igitur modo illis temporibus provinciae distributae fuerunt:

Tissaphernes (usque ad a. 408): Lydia, Ionia, Caria.

Cyrus (inde ab a. 408 usque ad a. 401): Lydia, Phrygia mai., Cappadocia, (Ionia, Aeolis merid.)

Tissaphernes (inde ab a. 401): Caria, Lydia, Phrygia mai., Cappadocia, Ionia, Aeolis merid.

Tissaphernes (Cyri tempore): Caria, (Ionia), (Aeolis mer.?).

---

[1]) Mira est Sieversii sententia, qui (p. 354) dicit: Tissaphernes bekleidete während der Anwesenheit des Kyros in Kleinasien wohl keine Staatswürde. Die jonischen Städte mögen wie seine Güter in Karien sein Privateigenthum gewesen sein. Doch hatte er von ihnen die festgesetzten Abgaben zu entrichten. Quae sententia qua re fulciatur non video.

Pharnabazus: Phrygia min., Aeolis septentrion. (Mysia?) (Bithynia?)[1].

Quibus satrapiis circumscriptis si comparamus Darii Hystaspis filii Asiae minoris distributionem cum ea, quam tunc invenimus, ut omittam gentes minores illas, de quibus nihil comperimus, fere haec tum mutata sunt.

1) Darii satrapiarum prima atque altera iam diu tum in unam coactae erant (cf. p. 27).

2) Paphlagonia post Darium usque ad nostra tempora in Asiae minoris satrapiis non commemoratur et dynastis subiecta fuisse videtur, qui satrapis non paruerunt; quibus de dynastis quae scimus diligenter collegit Ed. Meyer p. 29 sq. Nominantur Corylas, Otys s. Cotys, deinde Thuys s. Thys et Datames. De Artabazo Paphlagoniae satrapa vide infra; de Alexandri temporibus Arr. anab. II 4, 1. Curt. III 1, 22.

3) Mysia (cf. p. 57) et Lycia (Isocr. IV § 161) regi tum non paruisse omnino ab initio magis verbo quam re subiectae fuisse videntur.

4) Cappadocia et Phrygia maior[2]) Cyri tempore nescimus an primum Dascylii satrapae demptae satrapae Sardium datae sunt. Cappadociae satrapa persicus non nominatur et constat nunquam Cappadociam solam satrapiam effecisse. Saepius ὕπαρχοι nominantur, qui Cappadociae partibus praeerant, de quibus omnia memorabilia invenis apud Ed. Meyer. p. 26—30. Reges Persarum temporibus illis in regionibus non regnabant (cf. Meyer p. 31 sqq.).

De carani munere (cf. Lachmann I p. 436 sqq.) cum eo loco accuratius dicendum sit, ubi de satraparum muneribus omnino dicere in animo habeo, hoc loco haec sufficiant. No-

---

[1]) Conf. Xen. Anab. V 6, 24.

[2]) Breviter modo commemoro Epixyem, quem σατραπεύοντα τῆς ἄνω Φρυγίας Themistocli in Asia moranti insidias parasse narrat Plut. Them. 30 (cf. Sievers. p. 351, 17), cum nec de eius satrapia alias doceamur nec hoc uno loco mihi appareat eum satrapam nec satrapae ὕπαρχον fuisse. De Plutarchi fonte hoc loco adhibito cf. A. v. Gutschmid, Augsb. Allgem. Zeit. 1880 n. 103. Beil. n. 104. M. Mohr, die Quellen des Plut. und Nep. Them. Berl. 1879 p. 58 sqq. L. Holzapfel, Untersuchungen über die Darstellung der griechischen Geschichte. Leipz. 1879 p. 163, 3.

mine *κάρανος* significatur Cyrus (Xen. Hell. I 4, 3), ubi scribit rex: *Καταπέμπω Κῦρον κάρανον τῶν εἰς Καστωλὸν ἀθροιζομένων*; cf. Anab. I 1, 2 (= I 9, 7) ubi legimus: *στρατηγὸς πάντων ὅσοι εἰς Καστωλοῦ πεδίον ἀθροίζονται.* Plut Artax. 2: *τῶν ἐπὶ θαλάσσης στρατηγός.* — Neque aliud munus esse puto, quo functus est Tissaphernes, quamquam Thucydides (VIII 5, 4) eum non caranum, sed *στρατηγὸν τῶν κάτω* appellat; quod munus iterum accepit sine dubio post Cyri mortem. Quod concludere licet e Xen. Anab. II 5, 11, quo loco Clearchus cum Tissapherne colloquens dicit: *σὲ δὲ νῦν ὁρῶ τήν τε Κύρου δύναμιν καὶ χώραν ἔχοντα καὶ τὴν σαυτοῦ ἀρχὴν σώζοντα.* Sieversius quidem (p. 354) tum Tissaphernem satrapam modo Cyri loco, anno 397 demum caranum factum esse putat. Quod colligit e Xenophontis verbis (Hell. III 2, 13): *ἐτύγχανε δὲ κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον* (anno 397) *καὶ Φαρνάβαζος πρὸς Τισσαφέρνην ἀφιγμένος, ἅμα μὲν ὅτι στρατηγὸς τῶν πάντων ἀπεδέδειχτο Τισσαφέρνης, ἅμα δὲ διαμαρτυρόμενος, ὅτι ἕτοιμος εἴη κοινῇ πολεμεῖν καὶ συμμάχεσθαι κτλ.*; quam Sieversii interpretationem loci nos accipere nequaquam coactos esse docet Breitenbachius ad l. l. itemque Anabasis verba (II 5, 11: *δύναμις*) Sieversii sententiae plane obstant. Mandatum igitur erat carani munus illis temporibus Sardium satrapae (cf. Posseldt. p. 62 n. 291), ut iam Artaphrenem, antea Sardium satrapam, simili munere functum esse suspicati sumus. Neque vero cum Sardium satrapia hoc munus coniunctum fuisse quod vult Lachmann. I p. 438 sq., apparet e Xen. Hell. IV 1, 37, ubi Pharnabazus sibi hanc *ἀρχήν* traditum iri sperat neque vero dicit quidquam de Sardium satrapia sibi speranda. — Quo ipso ex loco id, quod alii quoque testantur loci (Xen. Hell. I 4, 3 sqq. III 2, 13) intelligimus Dascylii satrapam carano tum fuisse subditum. Grotius igitur V² p. 3 quod negat Cyro carano Tissaphernem quoque et Ioniae urbes subditas fuisse, mihi quidem omnino constat, ut Pharnabazum ita Tissaphernem Ioniae satrapam carano parere debuisse; praeterea hac in quaestione agitur de iure non de facto, cum Ionia, quam ad Cyrum defecisse vidimus, revera ei subdita fuerit. Cilicia autem nisi erro secundum Xen. Anab. I 2, 21 sqq. carano non paruit.

V.

De extremi regni persici temporis satrapis.

a. Sardium satrapae.

1) Tithraustes Tissapherni cuius interficiendi causa a rege in Asiam minorem missus erat[1]) (Xen. Hell. III 4, 25 sq. Diod. XIV 80. Plut. Artax. 23. Polyaen. VII 16, 1. Paus. III 9, 4) post eius mortem successit; nam Tissaphernis satrapiam, nescimus an totam eum accepisse docent ipsius Tithraustis verba apud Xenophontem tradita, cum Agesilaum oret, ut in Pharnabazi satrapiam discedat (Xen. Hell. III 4, 26: *σὺ δ' ἀλλά, ἕως ἂν πύθῃ τὰ παρὰ τῆς πόλεως, μεταχώρησον, ἔφη, εἰς τὴν Φαρναβάζου, ἐπειδὴ καὶ ἐγὼ τὸν σὸν ἐχθρὸν τετιμώρημαι*). Item carani munus suscepisse Tithraustem testis est Diod. XIV 80, 7 (*καταστήσας οὖν Τιθραύστην ἡγεμόνα — πρὸς δὲ τὰς πόλεις καὶ τοὺς σατράπας ἔπεμψεν ἐπιστολὰς ὅπως [ἂν] πάντες*[2]) *ποιῶσι τούτῳ τὸ προσταττόμενον*[3]).

---

[1]) Priusquam in Asiam minorem venit Tithraustes regis Persarum *χιλίαρχος* fuit: Nep. Con. 3, 2, ad quem locum cf. Nipperdey, qui *χιλίαρχος* vertit «Grossvezier»; sic Cononem ad regem duxit. — De Cononis itinere ad aulam persicam facto nec fontes nec viri docti consentiunt. Nam cum Nep. Con. 3, 2 sqq. narret Cononem a Pharnabazo ut Tissaphernem accusaret, ad regem missum esse, iter ante Tissaphernis mortem ponunt Nipperdey ad l. l, et Nikolai p. 49, 55. Contra Diod. XIV 81 hoc iter paulo post Tissaphernis mortem tradit, cui hac in re assentitur Schmidt, Konon p. 43, 1. Cum autem mihi quidem non dubium sit, quin Tithraustes a Nepote l. l. commemoratus idem sit, qui ad Tissaphernem interficiendum mittitur, si Cononis iter satrapae morti postponeremus, coacti essemus putare Tithraustem statim Tissapherne interfecto ad regem rediisse; quod cum non verisimile sit, equidem Nipperdeii sententiam comprobo. (De Paus. III 9, 1 cf. Schmidt, Konon p. 39, 2.) — Ubi Tithraustes postea ad aulam regiam revertit, eodem munere, quod iam antea habuerat, iterum functus esse videtur, nisi alius est Tithraustes, quem Ismenias, qui anno 367 cum Pelopida ad Persarum regem missus est (Plut. Artax. 22) ibi offendit (Ael. v. h. I 21. cf. Pauly R. E. IV. p. 302).

[2]) cf. Polyaen. VII 16, 1: *τὴν μὲν (ἐπιστολὴν) πρὸς αὐτὸν* sc. *Τιθραύστην περὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἐπιτρέπων αὐτῷ τὰ πάντα.*

[3]) Sievers p. 355 propter Xen. Hell. IV 1, 37 verba Tithraustem caranum fuisse negat; vide vero Breitenbachii adnotationem, qui recte de illis verbis disputavit.

Paulo igitur postquam Tissaphernem necandum curavit, cum Agesilao de pace agere coepit; convenit autem inter eos, ut Agesilaus propter conditiones postulandas nuntium domum mitteret, donec hic rediret, in Pharnabazi satrapia versaretur, Tithraustes ei triginta talenta solveret (Xen. Hell. III 4, 25 sq.). Indutias tum factas fuisse semestres legimus apud Diod. XIV 80. 8 (cf. Plut. Ages. 10). Deinde autem cum Agesilaum vere pacem facturum esse desperasset, Timocratem Rhodium in Graeciam misit, qui pecuniis corruptos singularum urbium principes permoveret, ut Lacedaemoniis bellum domesticum inferrent (Xen. Hell. III 5, 1 cf. Paus. III 9, 8. Plut. Artax. 20). — Postea de Tithrauste satrapa nihil audimus; nam anno 391 (cf. Rehdantz p. 32. 241 sq.) hoc munus non iam habuit, quo tempore ipse una cum Abrocama et Pharnabazo bellum gesserit contra Aegyptios, in Asia minore autem Tiribazum inveniamus (Isocr. IV 140. cf. Nep. Dat. 3, 5). — Idem denique nisi erro Tithraustes senex commemoratur anno 356/5 (Rehdantz p. 154 sq. Schaefer, Dem. III 2 p. 328), dum a Charete, qui cum mercennariis suis Artabazo auxilio venerat, devincitur (Schol. ad Dem. IV 19).

2) Tiribazus[1]) anno 392 primum in Asia minore nobis occurrit[2]), ubi eum Tithraustis munus suscepisse constare videtur inter viros doctos (Grote V² p. 260. Curtius, gr. Gesch. III³ p. 193. Rehdantz p. 21. 242. Krüger, histor.-philol. Stud. p. 227), quamquam nullo loco planis verbis traditum est. Xenophon enim eum appellat *βασιλέως στρατηγόν* (Hell. IV 8, 12), simili modo Diod. XIV 85, 4; alio loco eum Ioniae praefuisse comperimus (Xen. Hell. V 1, 28). Lydiam quoque eum habu-

---

[1]) Nominis varias formas codices praebent: apud Xenophontem, quantum scio semper *Τιρίβαζος* legimus, idem in Diodori codice A plerumque et apud Polyaenum; *Τειρίβαζος* habent Isocratis libri et Diodori codex A semel (XIV 27). Plutarchus et ceteri Diodori codices formam *Τηρίβαζος* exhibent.

[2]) Eundem esse Tiribazum, cuius in Cyri expeditione compluries mentio fit quique tum *ὕπαρχος* Armeniae occidentalis fuisse dicitur (Xen. Anab. IV 4, 4 sqq. cf. VII 8, 25. Diod. XIV 27. cf. Rehdantz p. 157 n. 99), nemo quantum scio negat (cf. Sievers. p. 356).

isse unus, sed hoc loco recte narrat Nep. Con. 5, 3. Sardibus commorantem eum commemorat Diod. XIV 85, 4 [1]).

Quando venerit ad oram maritimam Tiribazus certe definire non possumus. Anno autem 392 Lacedaemonii Antalcidam simulque Athenienses Cononem aliosque legatos ad Tiribazum miserunt, cum Lacedaemonii cum Persis pacem facere vellent, Athenienses eorumque socii timerent, ne hac pace ipsi debilitarentur; quibus sibi obtrectantibus pax non convenit (Xen. Hell. IV 8, 12—15) [2]). Tiribazus autem, qui Lacedaemoniis favit, ut Athenienses ab hostibus vexati et ipsi pacem cuperent, cum ipse ad regem Persarum proficisceretur, Antalcidae pecunias clam dedit, Cononem cepit et in vincula coniecit (§ 16 sq. Rehdantz p. 48, 14. Schmidt, Conon p. 53 sq.). Res mutatae sunt, cum rex Tiribazum ipsum retineret et eius loco mitteret

3) Strutham [3]), qui Atheniensibus amicus [4]) Agesilai bellorum non erat oblitus. Quare Lacedaemonii statim Thibronem exercitum contra eum in Asiam traducere iusserunt; quem Struthas aggressus ipsum necavit magnamque exercitus partem delevit (Xen. Hell. IV 8, 17—19. Diod. XIV 99, 1—3). Paulo post autem Diphridae Lacedaemoniorum exercitui pro Thibrone praefecto contigit, Struthae generum Tigranem (cf. Rehdantz p. 124) atque filiam capere, quos multis demum pecuniis acceptis dimisit (Xen. Hell. IV 8, 20 sq.). — Ceterum aut Lace-

---

[1]) Sievers. p. 363 ex Polyaeni (VII 14) verbis *Τιρίβαζος Κύπρου σατράπης* coniicit Cypri satrapiam Tiribazo cum bellum contra Euagoram gereret, praemium rei bene gestae promissam esse. Tale quid ex hoc enuntiato concludere non licet. Polyaenus Tiribazi belli Cypriaci memor vocabulo *σατράπης* hic, ut saepe faciunt posteriores scriptores abusus est.

[2]) Plut. apophth. Lac. p. 259 D. narrat, cum Conon et Pharnabazus Laconiam vastarent, Lacedaemonios per Antalcidam pacem cum rege Persarum fecisse.

[3]) De tempore conf. Breitenbach ad Xen. Hell. IV 8, 17 (Xen.: 392. Diod.: 390).

[4]) Strutham Cononem captum liberasse suspicatur Schmidt, Konon p. 56. Nipperdey ad Nep. Con. 5, 4.

daemonii Strutham Tiribazi vicarium [1]) esse putaverunt aut quod verisimilius est, Tiribazus iam ante annum 388 a regis aula iterum in satrapiam reverterat, cum audiamus hoc anno Lacedaemonios Tiribazi gratia Antalcidam *ναύαρχον* fecisse (Xen. Hell. V 1, 6).

4) Anno 387 demum audimus Tiribazum et Antalcidam, ubi regem ut Lacedaemoniorum partes susciperet commoverunt, in Asiam minorem devenisse, quo facto Antalcidas a Tiribazo et Ariobarzane fortiter adiutus ubicumque victor mox effecit, ut Graeciae civitates in angustias redactae pacis condiciones a rege imperatas Tiribazo auctore acciperent (Xen. Hell. V 1, 25—30). Illo igitur anno Graeci callidis satraparum machinationibus eo perducti sunt, ut Asiae urbes omnes, praeterea Clazomenas et Cyprum insulas regis Persarum esse concederent (§ 31). Annis sequentibus (386, 385) Tiribazus dux est belli adversus Euagoram mari gerendi (Diod. XV 2) [2]); hoc tempore post victoriam navalem de Euagora reportatam ipse ad regem properat, ut ei victoriae nuntium ferret novasque pecunias acciperet (Diod. XV 4). Deinde autem ubi (*τῶν ὅλων ἔχων τὴν ἡγεμονίαν*) cum Euagora de pace facienda agere coepit neque vero convenerunt de condicionibus, ab Oronte alio belli duce apud regem calumniis aspersus regis iussu reus ad aulam missus est (Diod. XV 8: anno 385; Polyaen. VII 14, 1. Plut. de superst. 8. Theop. ap. Phot. bibl. cod. 176. cf. Rehdantz p. 38 n. 38: exeunte Ol. 99). Qua de causa bello quo tum rex erat occupatus contra Cadusios (Nep. Dat. 1, 2. Trog. prol. X) [3]) confecto, ubi iudicium constitutum est, Tiribazus

---

[1]) Harpocr. s. v. *Στρούθας: Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Θρασυβούλου* (cf. Blass, att. Beredtsk. I p. 349) *σατράπης τις βασιλέως ἦν.* Suid. s. v. *Στρούθας· σατράπης τις βασιλικὸς ἦν.*

[2]) Accuratius de eo agit: Scharfe, de Euag. Salam. reg. Monast. 1866 p. 20 sqq.

[3]) De rebus a Tiribazo in bello aliquando contra Cadusios gestis cf. Plut. Artax. 24; hic quoque cum rex initio belli Tiribazo infestus sit, in bello ipso autem Tiribazus facinoribus suis regis gratiam sibi reconciliet, non est cur non facile credamus Plutarchi et Diodori locos esse coniungendos itaque regem Tiribazum captum in bello secum duxisse; quod Tiri-

crimine absolutus et summis honoribus affectus est, τοῦ δὲ Ὀρόντου καταγνοὺς (βασιλεύς) ὡς ψευδῆ κατηγορίαν πεπλακότος ἔκ τε τῶν φίλων ἐξέκρινε καὶ ταῖς ἐσχάταις ἀτιμίαις περιέβαλε (Diod. XV 10 sq.). Itaque anno 380 Tiribazus in regis gratiam reversus iterum bello Cypriaco gerendo praefuit (Isocr. IV 134 sq. cf. Rehdantz p. 38, 38. Blass, att. Ber. II p. 230). Num his temporibus, quibus Tiribazus contra Euagoram bellavit, fuerit satrapa quoque, nullo quantum scio ex loco cognosci potest. Si autem putamus belli initio eum hoc munus retinuisse, fortasse suspicari liceat, in satrapia quoque Orontem Tiribazo successisse, quamquam nullum habeo locum, quem ut aliquid confirmem commode huc traham. Equidem non audeam hac in re quidquam commendare. — Mortuus est Tiribazus ultimis Artaxerxis vitae annis; quomodo rex Amestrim filiam, deinde illius loco Atossam Tiribazo in matrimonium promissam ipse duxerit, quomodo Tiribazus deinde cum Dario regis filio coniurationem inierit, omnes autem, qui eius participes facti sunt, proditi perierint, satis notum est ex Plutarchi narratione (Artax. 27. 29).

5) Autophradates primum nobis occurrit pro rege bellum gerens contra Euagoram apud Theopompum (Phot. bibl. cod. 176), simul cum Hecatomno, qui ναύαρχος fuit secundum hunc scriptorem, cum Diodorus (XIV 98) anno 391 Hecatomno uni bellum gerendum mandatum esse narret [1]). Theopompus igitur iam hoc loco Autophradatem Λυδίας σατράπην appellat, quod cum veritate congruere non potest, cum viderimus tum Strutham Tiribazi locum i. e. Lydiae satrapiam obtinuisse. Contra anno 362 eum hoc munere functum esse documento est Diod. XV 90 neque est causa, cur hic dubitemus [2]). Ceterum quin idem

---

bazus post bellum crimine absolutus est, facile intelligitur, si rex novis Tiribazi beneficiis obstrictus tum erat (cf. Pauly, R. E. VI 2 p. 1992).

[1]) Quo de bello cf. Scharfe p. 17 sqq.

[2]) Autophradatem fuisse Tiribazi sive Struthae ὕπαρχον Euagorae belli tempore existimat Lachmann II p. 355 n. 44; Sievers. p. 356 Theopompi verbis fidem habet et iam tum eum Lydiae satrapam fuisse sibi persuasit; sed cum de Struthae munere nulla dubitatio esse videatur, mihi magis placet putare aut a Theopompo aut a Photio hunc Autophradatis titulum errore translatum esse a posteriore ad hoc tempus.

semper sit *Αὐτοφραδάτης*, quem illis temporibus saepius commemoratum invenimus, mihi quidem non est dubium (cf. Rehdantz p. 157). — Cui nostrae de Autophradatis satrapia sententiae nequaquam obstat Dem. or. XXIII 155 (anno 360): *ὡς δὲ συλλέξας δύναμιν παρῆν ὁ Ἀρτάβαζος, ἀφειμένος παρὰ τοῦ Αὐτοφραδάτου, τῷ μὲν ὑπῆρχεν ἐπισιτισμὸς ἐκ τῆς ἄνωθεν Φρυγίας καὶ Λυδίας καὶ Παφλαγονίας οἰκείας οὔσης, τῷ δ' (Χαριδήμῳ) οὐδ' ὁτιοῦν ἄλλο πλὴν πολιορκία περιειστήκει.* Neque enim dicit Demosthenes hoc loco Lydiam Phrygiam Paphlagoniam Artabazi satrapiae fuisse (quod vult Boeckh. Hermias von Atarneus. Kl. Schr. VI p. 185), sed Artabazo ex his tribus provinciis una fuit Paphlagonia (Rehdantz p. 144) cumque regis praefectus contra totius regni adversarium dimicaret, ei ex divitibus [1]) aliis regni satrapiis commeatus patuit. — Phrygiam autem paruisse Autophradati fortasse concludere licet e Nepotis verbis (Dat. VIII 6), ubi Autophradates bello, quod adversus Datamem gesserat, sedato in Phrygiam se recepisse dicitur. Nihil porro probat de Autophradatis satrapiae ambitu Nep. Dat. VIII 2, ubi eius exercitus partes enumerantur, cum populos illo loco nominatos non omnes eiusdem fuisse satrapiae et ex eis, quae de Paphlagonia constat, cognosci possit et ab initio unicuique eluceat, qui satrapiarum ambitum, qualis esse solet semel contemplatus est. Neque plus comperimus Nep. Dat. II 5, quo loco Ariobarzanes Lydiae Ioniae [2]) totius Phrygiae praefectus appellatur, cum de Nepotis in his rebus fide iam supra iudicaverimus (p. 58 sq.): talis enim est, ut nisi eius verba aliorum scriptorum testimoniis fulciuntur, ea plerumque negligere oporteat; praecipue hoc nostro loco necessarium est, cum semper Phrygiae solum satrapam Ariobarzanem fuisse tradatur neque

---

[1]) De harum provinciarum opibus cf. Kiepert, alte Geogr. p. 102 sq. 111.

[2]) De Ioniae possessione Rehdantzius p. 78. 79 quoque dubitat; equidem non dubito, quin Xen. Hell. V 1, 28 non *Ἰωνίας* sed *χώρας* supplendum sit (cf. Xen. Hell. III 4, 26, ubi idem verbum deest). Ionia inter duos satrapas nullo regni persici tempore divisa est; praeterea Xenophontis verba ipsa docent, e provincia, quae antea Pharnabazi fuerat, Ariobarzanem naves misisse.

verisimile sit, praeter Pharnabazi satrapiam reliquam Asiam minorem fere totam uni paruisse.

Num bellum ab Autophradate simul cum Datame adversus eos, qui a rege defecerant, quorum nomina non appellantur (Nep. Dat. 2, 1) gestum iure putet Rehdantzius p. 77 (cf. R. p. 157) paulo post annum 380 (Lachmann II p. 351: 378—374. cf. Nipperdey ad Nep. Timoth. 1, 2) esse ponendum, cum quosnam Nepos intelligat satis incertum sit, ambiguum manet. — Neque minus dubitare licet de aliorum Autophradatis bellorum temporibus, sic de bello cum Oronte gesto (Polyaen. VII 14, 3 sq. Sievers. p. 373 n. 137), cum Epheso urbe (Polyaen. VII 27, 2), adversus Pisidas (Polyaen. VII 27, 1. Frontin. I 4, 5), de quibus omnibus pauca modo eaque minime gravia audimus (cf. Rehdantz p. 77. 157). — Plura nobis nota sunt de Autophradatis et Datamis, qui a rege desciit, pugnis e Nep. Dat. 7 sq. Polyaen. VII 21, 6. Frontin. II 7, 9, sed ne ea quidem accuratiore commemoratione digna. Quo eodem de bello narrat Diod. XV 91 (cf. Nep. Dat. 6. Polyaen. VII 21, 7. cf. Nipperdey ad Nep. l. l.) qui errore pro Autophradate nominat Artabazum, quem unquam cum Datame bellasse alias non traditum est; quare omnes implet numeros probabilitatis verum intellexisse Rehdantzium p. 119, Diodorum hic ducum nomina confudisse. Diodorus igitur hoc bellum tribuit anno 362; recte iudicat Rehdantzius p. 119. 157, qui circa annum 370 iam bellatum esse opinatur propter Trogi prologi X verba, quibus Datamem ante Ariobarzanem defecisse patet [1]). Sequitur deinde Autophradatis Maussollique adversus Ariobarzanem bellum, cuius mentionem faciunt Polyaen. VII 26, qui quomodo Ariobarzanes [2]) ab Autophradate Atramytti obsessus commeatus sibi paraverit tradit et Xen. Ages. II 26 [3]). Quod bellum Auto-

[1]) cf. Rehdantz p. 159: „Diodorus cunctarum quae per decennium 370—360 motae sunt seditionum historiam complexus, sive brevitati studens sive leviter libris pervolutis sub Molonis archontis anno tradit, quo anno gravissima seditio sedata esse Orontis et Rheomitris proditione videtur.“ Quod negat Lachmann II p. 362.

[2]) Alium Ariobarzanem intelligit nullo iure Boeckh. p. 191.

[3]) Rehdantz p. 122 eidem tempori tribuit ea, quae narrat Arist. pol. p. 1267a 31 sqq. cf. Grote V² p. 491 n. 109.

phradatem Ariobarzani intulisse, cum hic a rege defecisset, ille regis copiis praefectus esset, sine dubio bene monuerunt Lachmann II p. 351. Grote V² p. 491, quibuscum ni fallor consentit Rehdantz. p. 122. Quam Ariobarzanis defectionem annis 367—365 esse tribuendam, comprobant omnes viri docti (cf. Rehdantz. p. 120—122. Grote V² p. 538. Schaefer. Dem. I 87 sqq. Busolt, d. 2. athen. Bund p. 804 n. 2). — Diodorus porro (XV 90 = a. 362) Autophradatem quoque in eis satrapis enumerat qui a Persarum rege tum desciverant; quod num recte tradiderit, dubitare licet. Nam praeterquam quod Trog. prol. X Autophradatem non nominat, nullo alio loco de Autophradatis defectione testimonium extat. Contra paulo ante Autophradatem a rege missum cum Datame atque Ariobarzane, cum defecissent bellasse vidimus. Quare iam Rehdantzius p. 157: „de Autophradate, inquit, igitur in medio relinquo, num in eorum numero fuerit, qui defecerant posteaque pactus cum Artaxerxe regis copias adversus Artabazum adhuc resistentem duxerit, an ab initio fidem regi servans Orontem sociosque bello persecutus sit.“ Mihi quidem non videtur ab omni probabilitate abhorrere, cum Artabazus, quem contra regem diu bellum gessisse non ignoramus, a Diodoro in defectorum numero omittatur, in capite 91 autem Artabazum pro Autophradate errore nominatum esse viderimus, in his omnino capitibus Diodorum, quod ei non uno hoc loco in nominibus accidit, Artabazum et Autophradatem confudisse itaque in cap. 90 Artabazum pro Autophradate esse intelligendum [1]). — Circa annum 360 [2]) iam Artabazum revera a rege defecisse concluserunt viri docti (Rehdantz p. 157. Boeckh. p. 185 sq.) e Dem. or. XXIII 154 sqq.: tum Artabazus ab Autophradate captus paulo post ut videtur e vinculis dimissus est [3]). Post hoc tempus nihil amplius de Autophradate audi-

---

[1]) Lachmann II p. 362 sqq., qui Autophradatem tum a rege desciisse putat existimat postea, cum Artabazus ab Autophradate caperetur, Artabazum regis copiis praefuisse. Certa vix inveniri possunt: ego Rehdantzium sequar.

[2]) De tempore cf. Rehdantz. p. 143—148. Boehneke, Forsch. auf dem Gebiet d. att. Redner I 2 p. 725 sq.: Ol. 105, 1 = 360.

[3]) Ante annum 356 iam defecisse Artabazum docent Schol. ad Dem. IV 19.

mus; adversus Artabazum autem rebellantem alter dux a rege mittitur (Schol. ad Dem. IV 19).

6) Rhoesaces[1]) unum quantum scio apud Diod. XVI 47 satrapa appellatur. Quo loco Diodorus ubi narravit regem Artaxerxem Phoenice recuperata[2]) adversus Aegyptum cum exercitu tripartito profectum esse pergit: *τὴν μὲν οὖν πρώτην τάξιν ἐπεῖχον οἱ Βοιωτοί — ἡγεμόνα (ἔχοντες) Πέρσην Ῥωσάκην. οὗτος δὲ ἀπόγονος μὲν ἦν ἑνὸς τῶν ἑπτὰ Περσῶν τῶν τοὺς μάγους καταλυσάντων, σατράπης δὲ Ἰωνίας καὶ Λυδίας.* Diodorus hoc tribuit anno 350[3]). — Idem est Rhoesaces, nisi permagno errori obnoxius sum, qui pugnae ad Granicum commissae interfuit, quem fuisse Spithridatis fratrem dicit Diod. XVII 20, 6. Qua in pugna apud scriptores mire fratres commutantur; nam cum Arr. anab. I 15, 8 et Plut. Alex. 16 Clitum Alexandrum a Spithridate defendisse legamus, hoc idem de Rhoesace narrant Curt. VIII 1, 20 et Diod. XVII 20. Contra Alexandrum sua manu occidisse Rhoesacem tradunt Arr. I 15, 7 et Plut. Alex. 16, cum hic Spithridatem nominet Diod. XVII 20. — Quam fratrum confusionem Diod. XVI 47 quoque esse accipiendam, non suspicer, quamquam alio loco Rhoesaces satrapa non appellatur, contra

7) Spithridatem fuisse Lydiae atque Ioniae satrapam satis documento[4]) est Arr. I 12, 8. Commemoratur autem

---

[1]) Sic Arriani et Plutarchi codices; Rhosacem eum Diodorus et Curtius nominant.

[2]) Tum Sidon urbs eversa est (Diod. XVI 45); brevi iam tempore iterum extitit (cf. Arr. anab. II 15, 6), ita ut nisi fallor ab Arr. II 13, 8 magnitudo Sidonis cum magnitudine Marathi comparetur; puto enim Arriani verba corrupta (cf. Sintenis ad l. l.) ita corrigenda esse: *τὴν Μάραθον τὴν καταντικρὺ τῆς Ἀράδου ἐν τῇ ἠπείρῳ ᾠκισμένην πόλιν μεγάλην καὶ εὐδαίμονα κατὰ Σιδῶνα* (cf. I 26, 4: *καὶ ἐκ τότε οὐ κατὰ τοὺς ἄλλους προσχώρους Σιδῆται ἐβαρβάριζον.* Her. IV 23: *ποντικὸν μὲν οὔνομα τῷ δενδρέῳ ἀπ' οὗ ζῶσι, μέγαθος δὲ κατὰ συκέην μάλιστά κῃ*).

[3]) De tempore vide Schaefer. Dem. I p. 436 sqq. qui vult annum 351; cf. Lachmann II p. 367 sq. Gutschmid, Phil. XI p. 149.

[4]) Quantopere scriptores in satrapis significandis sibi constent, hic quoque videmus, cum Arrianus ipse (I 16, 3) Spithridatem *Λυδίας σατράπην* appellet, dum Diodorus (qui *Σπιθροβάτην* eum semper vocat) XVII 19. 20 *Ἰωνίας σατράπην* eum fuisse dicit.

Spithridates dux copiarum in pugna ad Granicum commissa (Arr. l. l.), ubi Diodoro testante (XVII 19, 4) Hyrcanis equitibus praefuit. Qua in pugna Spithridatem cecidisse constat (Arr. I 16, 3 cf. Diod. XVII 20). Si autem Diod. l. l. de eo dicit: γένει μὲν ὢν Πέρσης Δαρείου δὲ τοῦ βασιλέως γαμβρός et complura adiicit de eius fortitudine atque morte, hac in re iterum errasse Diodorum docet Arr. I 15, 7 (cf. Plut. de Alex. fort. I 2), unde haec omnia non ad Spithridatem spectare patet, sed ad Mithridatem τὸν Δαρείου γαμβρόν [1]).

Phrygiae maiori Spithridates non simul praefuisse videtur secundum Arr. I 25, 3, qui nominat Ἀτιζύην τὸν Φρυγίας σατράπην: nam quod Phrygiae minoris satrapam tum fuisse Arsitem satis constat, hic Phrygia maior intelligenda est. Sed timeo ne hic satrapa appellatus sit falso pro satrapae hyparcho, qui Phrygiae praeerat; quod mihi suadet, quod nullo Persarum regni tempore Phrygia maior per se satrapia est. Certum hic inveniri non potest (cf. Droysen, Gesch. d. Hellen. I² 1 p. 222 sq.). Atizyem quendam in pugna ad Granicum commissa Persarum equitatus ducem fuisse, in pugna Issica occidisse narrat Arr. II 11, 8; hac altera de re idem tradit Diod. XVII 34; utrum sit alter Atizyes, qui apud Diodorum iam ad Granicum necatus est (cf. XVII 21) an semper idem, dubium maneat: alii rerum Alexandri Magni scriptores duos huius nominis praefectos non cognoverunt.

b. Dascylii satrapae.

1) Ariobarzanem [2]) Pharnabazo Dascylii successisse, iam supra paucis commemoravimus (cf. p. 52) (cf. Rehdantz. p. 78 sq. Breitenbach. ad Xen. Hell. V 1, 28. Grote V² p. 278). — Cuius locum obtinens anno 387 Antalcidam, cui iam

[1]) Nihil valet Diod. XVII 21, 7, ubi Mithrenem satrapam Sardes Alexandro prodidisse narratur, quem non satrapam Lydiae, sed Sardium arcis φρούραρχον fuisse scimus ex Arr. I 17, 3. — De Spithridatis nummis, quos habemus, disseruit nescio an recte Droysen, Zeitschr. f. Numism. II 1875 p. 313.

[2]) Iam anno 406 in Asia minore (Xen. Hell. I 4, 7) Ariobarzanes nobis notus fit; suspicor ibi illo tempore eum minore aliquo munere functum esse.

antea amicus fuerat, navibus adiuvat una cum Tiribazo. Sequitur si Rehdantzii (p. 120) rerum gestarum ordinem accipimus, anno 377/6 bellum Datamis contra Thyum gestum, Paphlagoniae dynastam, in quo Ariobarzanem Datamen reliquisse tradit Nep. Dat. II 5, cum iam tum, ut opinatur Sievers. p. 371 a rege desciscere in animo haberet. Deinde anno 368 Philiscum (de quo cf. Schaefer Dem. I 89) Abydenum in Graeciam transmisit, ut pacem faceret inter Lacedaemonios eorumque hostes (Xen. Hell. VII 1, 27. Diod. XV 70), unde re infecta illum revertisse notum est. — Porro de Ariobarzanis[1]) a rege defectione consentiunt Diod. XV 90 et Trog. prol. X; de rebellionis tempore et Autophradate regis copiarum duce cf. p. 68 sq. Cuius defectionis Dem. or. XV 9 quoque mentionem facit; Timotheus enim ab Atheniensibus copiis praefectus missus est opem laturus Ariobarzani, adiecta clausula ne violaret foedus cum rege initum. Qui cum videret Ariobarzanem palam desciise a rege Samum profectus est. Tamen Timotheum et Agesilaum Ariobarzani auxilio profectos ab hoc donatos esse[2]) audimus Nep. Timoth. 1 (cf. Isocr. XV 112). — Nostrum Ariobarzanem Phrygiae satrapam intelligi ab Harpocr. s. v. *Ἀριοβαρζάνης*[3]) bene intellexit Taylor[4]) ad Dem. p. 666 v. 18. Quae verba Harpocrationis cum non sint integra, tamen id

[1]) Datamis et Ariobarzanis societatem commemorat Nep. Dat. 5, 6.

[2]) Donatas Timotheo esse urbes Sestum et Crithotem unus tradit Nep. l. l., cum Isocrates dicat: *Σηστὸν καὶ Κριθώτην ἔλαβε* (cf. Nipperdey ad Nep. l. l.); iure contendit Funkhänel (die Athener auf d. thrak. Chersones: Phil. IV p. 94) Isocratis verba melius consentire cum eis, quae legimus Dem. XV 9 sq.

[3]) *Ἀριοβαρζάνης σατράπης Φρυγίας ἀποδειχθεὶς οὗτος παρὰ Ἀρταξέρξου* (codices: *Ξέρξου*, corr. Meier de bon. damn. p. 55) *ἀπέστη, ὃς καὶ ἀποστείλας λαὸν τοὺς πολεμήσοντας αὐτῷ καὶ χειρωσάμενος ἐσταύρωσεν.*

[4]) Quod negavit Lachmann II p. 356 propter codicum memoriam (*Ξέρξου*). Cum autem alter Phrygiae satrapa Ariobarzanes non notus sit, ego quin Taylor verum viderit non dubito, praesertim cum nomina Xerxis et Artaxerxis facile confundi possent et saepius confusa sint (Xen. Hell. II 1, 8. Dinon. ap. Athen. XIII 609a. — F. H. G. II 93. — Aristot. pol. 1311b. 38 cf. Susemihl p. 608 s. v. Artapanes: Grote V² p. 2; de differentia scriptorum, utrum ad Xerxem an Artaxerxem venerit Themistocles exul: Müller, F. H. G. V p. 13.

ex eis satis elucet Ariobarzanem hac in seditione captum a rege cruci esse affixum (cf. Boeckh. kl. Schr. VI p. 194 n. 45)[1]. — Commemoratione denique dignum est, quod Ariobarzanes unus Asiae minoris satrapa ab Atheniensibus civitate donatus est simul cum Philisco (Dem. or. XXIII 141[2]) cf. Rehdantz. p. 121).

De Ariobarzanis satrapia ut quae scimus addam, Phrygiae eum satrapam planis verbis appellant Diod. XV 90. Harpocr. l. l. Diod. XVII 17, 6, ubi Alexander *πρὸ τοῦ (τῆς Ἀθηνᾶς) νεὼ κειμένην εἰκόνα χαμαὶ τοῦ Φρυγίας ποτὲ σατραπεύσαντος Ἀριοβαρζάνου* invenit: his locis Phrygiam minorem esse intelligendam, quod haec una Pharnabazo paruit manifestum est; accedit autem, quod Trog. prol. X eum appellat praefectum Hellesponti. Illis quoque temporibus Atramyttium tertiae fuisse satrapiae docet Polyaen. VII 26, item Assum Xen. Ages. II 26 et Sestum Xen. l. l. Nep. Timoth. 1. — Pugnat cum eis, quae nos scimus de Ariobarzanis aliorumque satrapiis Nep. Dat. 2, 5: (Ariobarzanes praefectus Lydiae et Ioniae totiusque Phrygiae): quae nullius esse momenti supra iam dixi (cf. p. 67.)

2) Artabazus. Cuius aetatem praeter Pharnabazum unius definire accuratius licet. Venit enim ad Alexandrum auctumno anni 330 (Arr. III 23, 7); tum eum nonaginta quinque annos natum fuisse tradit Curt. VI 5, 3; itaque anno 425 natus est. Regiae originis eum fuisse docet Plut. Alex. 21. — Artabazi et Autophradatis confusiones nominum supra partim probavi (p. 68), partim suspicatus sum (p. 69).

---

[1]) Nostrum aliumque Ariobarzanem confudisse Diodorum (XV 90. XVI 90) vidit Schaeferus (Dem. I 89). Diod. XV 90 enim narrat Ariobarzanem Phrygiae satrapam Mithridatis mortui regno potitum et (XVI 90) anno 337, ubi viginti sex annos regnaverit mortuum esse. Videtur intelligendus esse Mithridates Lycaoniae et Cappadociae *ἄρχων* (Xen. Anab. VII 8, 25. Rehdantz. p. 160 sq. Sievers. p. 371; contra: Lachmann. II p. 356 not.). Harpocrationis verba reiicit Ed. Meyer; huius de Mithridate eiusque filio Ariobarzane eorumque regno sententiam vide: Königr. Pontus p. 34 sq.

[2]) cf. § 202: *Ἀριοβαρζάνην ἐκεῖνον οὐ μόνον αὐτὸν καὶ τοὺς υἱοὺς τρεῖς ὄντας πάντων ἠξίωσαν ὅσων ἐβουλήθησαν, ἀλλὰ καὶ δύο Ἀβυδηνοὺς — προσέθηκαν αὐτῷ, Φίλισκον καὶ Ἀγαυόν.* De Oronte satrapa cf. C. I. A. II n. 108.

Quos satrapas aliquando manus conseruisse cum de Autophradate dissererem paucis adnotavi atque tum defecisse Artabazum cum Rehdantzio conieci (p. 69.); facta est haec defectio circa annum 360. Ab Autophradate, ubi ut Boeckhius opinatur se criminibus purgavit e vinculis dimissus, Charidemum notissimum illum mercennariorum ducem, qui Aeoliae urbes nonnullas occupaverat (cf. Arist. oec. p. 1351 b. 19 sqq.) bello persecutus, a Mentore et Memnone affinibus commotus est *τοῦ μὲν τιμωρεῖσθαι τὸν Χαρίδημον ἀφεῖσθαι ἀποστεῖλαι δ' ὑπόσπονδον* (Dem. XXIII 157). — Iterum deinde Artabazum contra regem rebellantem invenimus anno 356 et 353. Anno igitur 356 (Boeckh. p. 186) Chares totius Atheniensium classis praefectus ab Artabazo vocatus militibus postulantibus in Asiam transgressus Artabazum adiuvit regisque copias fudit; quo facto Artabazus eum magna pecunia donavit (Diod. XVI 22); eiusdem rei accuratius mentionem facit Schol. ad Dem. IV 19, qui nominat regis copiarum ducem Tithraustem (cf. Schaefer. I p. 150 sq. Rehdantz. p. 154 sq.). Sigeum autem et Lampsacum Chares tum sibi ipse cepit et boves captos Athenas misit (Schol. Dem. III 31. Schaefer. I 151). Anno 353 Charete ab Atheniensibus revocato Artabazus Thebanis ut auxilium sibi mitterent persuasit. Qui Pammenem ducem creatum cum quinquies mille militibus traiecerunt. Is Artabazo opitulatus satrapas, qui eum armis persecuti sunt, duobus magnis proeliis fudit (Diod. XVI 34. Schaefer. I 400. 457). Deinde Artabazus ni fallor rebus minus feliciter gestis ex Asia cum Memnone in Macedoniam profugit, unde Mentore [1]) affine auctore anno 349 a rege revocatus est tota cum familia (Diod. XVI 52). — Post hoc tempus Artabazus non iam nominatur usque ad Alexandri Magni tempora; quae de Artabazo Alexan-

---

[1]) De Memnone et Mentore item de Pharnabazo altero hic non disserendum est, quia satrapae non fuerunt. Nam cum vocet Diod. XVI 52 Mentorem *σατράπην τῆς κατὰ τὴν Ἀσίαν παραλίας*, *σατράπης* non proprie dicitur. Ex aliis enim locis satis apparet munus eorum unum fuisse militare; cf. Diod. XVI 50, 7: *Μέντωρ ἐν τοῖς παραθαλασσίοις μέρεσι τῆς Ἀσίας ἡγεμὼν μέγιστος.* c. 52 *αὐτοκράτωρ στρατηγός.* De Mentore: Arr. I 20,

dri satrapa comperimus, huc non spectant: afferenda sunt, si de Alexandri satrapiarum constitutione agitur (cf. Schaefer. III 1, 173 sq. 170 n. 1)[1]).

Artabazum igitur fuisse Ariobarzanis successorem coniecit Rehdantz. p. 154; idem sensit Droysen. Alexand. p. 57, quamquam nullo quantum scio loco plane his temporibus *σατράπης* vocatur. Loca enim quae Charidemus in Asiam transgressus occupavit, Scepsis Ilium Cebren cum Aeolidis sint, post Pharnabazi mortem Ariobarzani paruerunt. „Ariobarzanes igitur debebat in sua provincia talia Charidemum agentem repellere. Sed Charidemo res erat primum cum affinibus Artabazi, tum cum oppidanis quibusdam, qui amicum eum esse Artabazi existimabant, cum ipso denique Artabazo, qui dimissus ab Autophradate magnum exercitum adducere coepit. Aeolidem quis Artabazi negabit ditioni subiectam fuisse?“ Docet porro Dem. or. XXIII 155 (cf. p. 67) Paphlagoniam quoque Artabazo subditam fuisse. Quare quin vere Artabazus fuerit Dascylitidi satrapiae praefectus equidem non dubito[2]).

3) Arsites primum nominatur anno 340 (cf. Schaefer II p. 469 sq.) *σατράπης τῆς ἐφ᾽ Ἑλλησπόντου Φρυγίας*, cum Apollodorum Atheniensem Perinthiis a Philippo oppugnatis auxilio

---

3: *τῆς κάτω Ἀσίας καὶ τοῦ ναυτικοῦ παντὸς ἡγεμών* (cf. II 1, 1); Diod. XVII 23. 29. De Pharnabazo Memnonis successore cf. Arr. an. II 1, 3. 2, 1. — Memnonis quidem *χώρα* commemoratur Arr. I 17, 8 (cf. Sintenis ad. l. l. Droysen I² 1 p. 184. 198. Grote VI² p. 443), item *ἴδιοι ἱππεῖς* eiusdem. Quae terra utrum satrapia fuerit, si fuerit quaenam hac de re nihil constat.

[1]) De Artabazi nostri filiabus cf Strabo XII 578, Plut. Eum. 1.

[2]) Aliter iudicat H. Droysen, Z. f. Num. II 1875 p. 313, qui putat anno 362 Orontem hanc Dascylii satrapiam obtinuisse. Adhibet enim Diod. XV 90, ubi Orontes appellatur *τῆς Μυσίας σατράπης*, quod acceperat et Brandis Münzw. p. 237 et multi alii viri docti. Id autem Droysen recte vidit Mysiae satrapam alias nusquam nominari; omnino talem unquam fuisse minime est verisimile (cf. p. 60). Quare putavit Droysen totam Dascylii satrapiam Oronti traditam fuisse, quod ei probare videntur Orontis nummi Lampsaceni (cf. Sallet. Wien. Num. Zschr. 1871 p. 419—423). Nummi autem illi Lampsaceni nihil probant, cum satrapa, qui defecerat et exercitui praeerat, facile in alius satrapiae urbe nummos facere posset.

mittat[1]) (Paus. I 29, 7 cf. Sievers. p. 351, 14). Iterum nominatur in pugna apud Granicum commissa. Nam cum ante pugnam Persarum duces quid faciendum esset deliberarent, ubi Memnon proposuit ut copiae se reciperent, terra ante hostis adventum vastaretur, obstitit Arsites cui alii assensi sunt, ne quid ureretur (Arr. an. I 12, 8—10)[2]). Quo factum est, ut dimicaretur; Arsites ipse Diodoro testante Paphlagonum equitibus praeerat (XVII 19, 4 cf. Arr. I 12, 8). Persis autem devictis cum cladis auctor esse videretur, in Phrygia se ipse necavit (Arr. I 16, 3). Arsiti quoque Paphlagones

Item igitur nummi Orontis Clazomenii non docent ei post proditionem Ioniam (cf. Diod. XV 91) esse creditam, quam si unquam eius fuisse putas cf. p. 66. Dascylii autem satrapam fuisse Orontem ego mihi persuadere non possum, quod hoc munus post Ariobarzanem Artabazum obtinuisse puto, quod numquam Dascylii satrapa vocatur *τῆς Μυσίας σατράπης*, quod denique ex Trogi prologo X comperimus defecisse in Syria praefectum Armeniae Orontem. Quare iam Rehdantzius p. 158 ad verba ‚in Syria' adnotavit „hincne Mysia natum?" cum Diodori verba corrupta esse putaret. Equidem facilius Diodori locum sanari puto, si existimamus apud Diodorum primis litteris deletis ex *Ἀρμενία* evasisse *Μυσία*: (*ἀρ*] *μενίας*: *μυσίας*) itaque restituendum esse: *πρὸς δὲ τούτοις Ὀρόντης μὲν τῆς Ἀρμενίας σατράπης.*

[1]) Apud Pausaniam l. l. *Ἀρσίτου* coniecit Kuhnius pro *Ἀρίστου.*

[2]) Apud Arr. I 12, 8 *Ἀρσίτης τῆς πρὸς Ἑλλησπόντῳ Φρυγίας ὕπαρχος* nominatur; hic *ὕπαρχον* esse satrapam docet Paus. I 29, 7. Etiam aliis locis hoc sensu vocabulum *ὕπαρχος* ab Arriano adhiberi alii loci demonstrant: cf. IV 18, 3: *Μαζαῖος ὁ Βαβυλώνιος ὕπαρχος.* III 16, 4: *σατράπην κατέστησε Βαβυλωνίων Μαζαῖον.* VII 18, 1: *Μαζαίῳ τῷ Βαβυλῶνος σατράπῃ* — Plerumque Indorum *ὑπάρχους* Arrianus commemorat (IV 22, 8. 24, 1. V 2, 2. 8, 2 cll. IV 22, 7. V 20, 6. 29, 4. VI 17, 5. IV 28, 6), quos omnes esse principes indigenas recte iam vidit Droysen Hellen. I² 2 p. 115. Opponuntur autem sibi plane *Ἀσσακηνῶν σατράπης* atque *ὕπαρχος* Arr. V 20, 7. — Darii *ὕπαρχος* praeterea nominatur Arr. I 16, 3: *ὁ τῶν Καππαδοκῶν ὕπαρχος Μιθροβουζάνης*, qui non tam satrapa fuisse, quam ipse nescio cui satrapae subditus Cappadociae parti imperasse videtur, ut antea Mithridates (Xen. Anab. VII 8, 25), deinde Camisares, Datames (cf. Meyer. p. 26 sqq.). — Restat III 16, 9: *Ἀλέξανδρος ἐπὶ θάλασσαν δὲ κατέπεμψεν ὕπαρχον Συρίας καὶ Φοινίκης καὶ Κιλικίας Μένητα.* cf. IV 7, 2: *Μένης ὁ ὕπαρχος ἀπὸ θαλάσσης.* Hic satrapam non esse intelligendum patet ex Arr. an. III 6, 8. IV 7, 2. 13, 4: Asclepiodorus *σατράπης Συρίας*; II 12, 2: Balacres *σατράπης Κιλικίας*; cf. III 6, 4: *ἐν Φοινίκῃ μὲν ἐπὶ τῶν φόρων τῇ ξυλλογῇ καταστήσας Κοίρανον.* Omnia ea, quae Menes agit,

paruisse verisimile est; cum enim Diodori verba per se non satis valeant, accedit, quod iam Artabazus eis praeerat itaque si etiam tum Persis subiecti erant, Artabazi successori subditi fuisse putandi sunt. Item postea (Arr. I 17, 1), qui Arsitem secutus est Calas Paphlagonibus quoque imperat (II 4, 2). — Arsitis nomen recte restitutum esse videtur a Stielio apud Strabonem XVI p. 766 C, ubi Arsitis filius commemoratur.

c. Ciliciae satrapae.

1) Mazaeus *ὁ τῆς Κιλικίας ἄρχων* anno 351 una cum Belesye Syriae satrapa Phoenicibus pro rege bellum infert (Diod. XVI 42). *ἄρχων* hic sine dubio satrapa est, cui sententiae nihil quidem obstat. Idem nisi erro Mazaeus saepius nominatur Alexandri Magni temporibus (Schaefer Dem. III 1, 172 sq.). In pugna ad Gaugamela commissa *Σύρους τούς τε ἐκ τῆς κοίλης καὶ ὅσοι τῆς μεταξὺ τῶν ποταμῶν Συρίας* contra hostem ducit (Arr. anab. III 8, 6). — Huius Mazaei fortasse nonnulli nummi persici sunt, quos cum antea aliter lecti essent, primus Halévy (‚les médailles de Tarse dites d'Abdzohar' in libro qui inscribitur: Mélanges d'épigraphie et d'archéologie sémitiques. Paris 1874 p. 64 sqq.) ad Mazaeum quendam retulit. Putat enim in his nummis legendum esse „Mazdaï satrape de la Ciseuphratique et de la Cilicie", nomen Mazdaï autem nihil esse aliud ac Mazaei; utrum nostri Mazaei sint nummi an alius qui ante nostrum Ciliciam obtinebat, Halévy diiudicare non audet[1]).

2) Arsames Alexandri tempore Ciliciae fuit satrapa (Grote VI² p. 459. Droysen I² 1 p. 247); quem Ciliciae

---

praeterea verba Diodori (XVII 64, 5: *Ἀπολλόδωρον δὲ τὸν Ἀμφιπολίτην καὶ Μένητα τὸν Πελλαῖον ἀπέδειξε στρατηγοὺς τῆς τε Βαβυλῶνος καὶ τῶν σατραπειῶν μέχρι Κιλικίας*), demonstrant Menetem copiarum ducem fuisse (cf. Curt. V 1, 43). Itaque quamquam *ὕπαρχον* pro satrapa apud Arr. inveniamus adhibitum, *σατράπαι* et *ὕπαρχοι* tamen interdum secerni possunt (cf. Arr. VI 27, 4).

[1]) Alio loco demonstrandum erit, quomodo de eis sit iudicandum, quae vir doctus de Ciliciae satrapiae ambitu dicit; pertinet autem haec quaestio ad provincias, quae hic non tractantur.

praefuisse plane dicit Curt. III 4, 3. In pugna ad Granicum commissa equitum dux est (Arr. I 12, 8. II 11, 8), ut Diod. XVII 19, 4 quoque nominat Ἀρσαμένην τὸν σατράπην, qui suos equites in pugna contra hostes ducit. Postea cum Alexander victor Ciliciae appropinquaret, Arsames, qui Tarsum Persis servare in animo habuerat, ne hoc perficeret Alexandri celeritate impeditus est (Arr. II 4, 5); eum priusquam ad Darium fugerit Ciliciam vastasse tradit Curt. III 4, 5 (cf. Arr. l. l.). Denique in pugna Issica interfectus est (Arr. II 11, 8)[1].

Cum igitur Mazaeum et Arsamem satrapas inveniamus — neque quin fuerint satrapae cur dubitemus video — cadit Luynesii sententia, quam Droysen quoque probat (Z. f. Num. II p. 311 sq. cf. Weil, Burs. Jahresb. III 1876 p. 463): „Der Herzog von Luynes hat gewiss mit Recht vermuthet, dass die kilikische Satrapie in Folge der misslungenen Erhebung des jüngeren Cyrus vom Perserkönig eingezogen worden sei; man darf wohl hinzufügen, dass sie, das wichtigste Verbindungsglied zwischen Kleinasien und Susa, so lange die persische Herrschaft bestand, nicht wieder besetzt worden ist. War Kilikien im 4. Jahrhundert so zu sagen reichsunmittelbar, so erklärt sich auch, dass Statthalter kleinasiatischer Satrapien in Kilikien haben prägen dürfen und wirklich geprägt haben.“ Id unum cognoscimus provinciae praefectos post Cyri bellum Syennesis nomen non iam habuisse, quare existimabimus propter ultimi Syennesis proditionem (cf. p. 53 sq.) illum honorem satrapiae ademptum esse.

d. Cariae satrapae.

Cares ubi simul olim cum Ionibus ab Harpago subacti (Her. I 174) a Dario cum eisdem in una satrapia coniuncti sunt (Her. III 90), deinde Persarum opibus ab Atheniensibus fractis non una cum Ioniae incolis a Persis ad Athenienses defecisse, sed eo anno, quo ad Eurymedontem pugnatum est,

---

[1]) Arsamem quendam Φρυγίας τῆς μεγάλης κρατοῦντα a rege defecisse narrat Polyaen. VII 28, 2; propter defectionem extremi regni Persarum temporis esse videtur; fortasse noster A. antea Phrygiae ὕπαρχος erat.

in Atheniensium foedus redacti esse videntur (Diod. XI 60. Plut. Cim. 12. cf. Kirchhoff. Herm. XI p. 20 sq.). Quare et a Thucydide Cares in Atheniensium sociis enumeratos (II 9) et in tabulis tributorum Atheniensibus solutorum Cariae quoque tributum commemoratum invenimus (cf. Thuc. II 69. III 19). Quamquam igitur, nescimus an tota Caria a Persis desciverat, tamen quin ut Ioniae ita Cariae nomen in Persarum tributorum tabulis tum servatum sit, vix dubito; cum autem Atheniensibus victis Persae a Lacedaemoniis adiuti Asiae minoris partes sibi ereptas recuperare studerent, Cariam quoque Tissapherni subditam fuisse supra iam vidimus. Denique pace Antalcidea Graeci ipsi Cariae quoque possessionem Persis plane concesserunt. Primum autem nisi vehementer erramus post Tissaphernis mortem Caria suum ipsa satrapam habuit, quo ex tempore Hecatomnus eiusque liberi hic satrapae munere functi esse videntur.

De Hecatomno eiusque liberis diligenter omnia fere composuerunt G. Pohla, de dynastis Caricis. Vratisl. 1868. G. Juergens, de reb. Halicarnassensium pars I. Halis 1875 p. 33—65; quare quam paucissimis liceat verbis primum de horum satraparum facinoribus disserere, deinde eas afferre causas, quibus hos dynastas, qui dicuntur, satrapas fuisse satis apparet.

1) Atque cum primus Hecatomnus hoc munere fungens (*Καρίας δυνάστης*) nobis aperte anno 391 (Diod. XIV 98) nominetur, iam Rochettus (cf. Boeckh. C. I. G. 2919) ei anteisse I d r i e u m quendam suspicatus est. Nam cum titulus modo laudatus, qualem legimus C. I. G. 2919 sit scriptus *ἔτεος ἑβδόμου μηνὸς ἑβδόμου βασιλεύοντος Ἀρτασέσσεω, ἐξσατραπεύοντος Ἰδριέως*, quae difficultates hinc oriantur, videas apud Boeckhium; quas Rochettus se tollere posse putavit, cum intelligeret Artaxerxem Mnemonem itaque ante Hecatomnum regnasse Idrieum alias non notum contenderet. Quam sententiam cum Rochettus ipse postea reiecerit, iterum protulit Schaefer, Dem. III 2 p. 342; cui non tam propter hunc titulum adsentior, de quo quam incertum sit iudicare videmus apud Boeckhium (Kl. Schr. VI p. 327 sq.) —, accedit quod ante Tissaphernis mortem *Ἰδριεὺς*

ἐξσατραπεύων commemorari non potest —, sed ea imprimis de causa, quod narratiunculam apud Plutarchum ter traditam (Ages. 13 apophth. Lac. p. 255 D. apophth. regg. p. 230 D.) ad Idrieum notum referendam esse mihi minime verisimile est. Nam cum non ignoremus Agesilaum mortuum esse, priusquam Idrieus Artemisiae sorori in Caria successit (351/0), mihi persuadere nequeo, Agesilaum, quamdiu Idrieus non ipse regnabat, eum precibus adiisse, ut captivum aut reum quendam dimitteret. Quare existimo iam ante Hecatomnum Idrieum alias non notum in Caria fuisse, cui Agesilaus, fortasse cum in Asia bellaret — quod existimat Schaeferus — epistolam a Plutarcho commemoratam misit; aliter de hac re iudicat Pohla p. 12, 10.

2) Magis deinde nobis Hecatomni vita nota est, cuius liberi usque ad Alexandri Magni adventum regnum Cariae obtinuerunt (Strabo p. 656 sq.). Mylasa huius familiae patriam fuisse saepius legimus (Strabo p. 659. Arist. oec. p. 1348a, 12. Vitruv. II 8, 11). — Hecatomnus Persarum regis dux belli contra Euagoram gesti commemoratur a. 391 (Diod. XIV 98), classis ducem eum appellat Theop. frgm. 111. Cuius in Persarum regem fides quam incerta fuerit videmus non solum e Diodori verbis (XV 2), qui Hecatomnum Euagoram clam adiuvisse tradit, sed etiam ex Isocr. or. IV 162, qui dicit de Hecatomno: *τῇ μὲν ἀληθείᾳ πολὺν ἤδη χρόνον ἀφέστηκεν, ὁμολογήσει δ᾽ ὅταν ἡμεῖς βουληθῶμεν.* Aliud Hecatomni bellum commemorat Suid. s. v. *Δέξιππος*, ubi sine dubio pro ***Κᾶρας*** scribendum est: ***Κώους*** (cf. Stark, Eos I 1864 p. 390. Pohla p. 22, 20. Juergens p. 38). — Mortuus est Hecatomnus anno 377 (Diod. XVI 36). De imagine publica eius violata reorumque poena docemur C. I. G. 2961d (anni 361); de eius nummis qui extant disserit Brandis p. 338 sqq.

3) Sequitur Hecatomnum Maussollus filius (Diod. XVI 36; de nominis forma cf. Eckhel D. N. I 2 p. 597. Juergens p. 47), cuius uxorem fuisse Artemisiam sororem tradunt Strabo p. 656. Suid. Harpocr. s. v. *Ἀρτεμισία* etc. Compluries (annis 367 et 355) eius vitae insidiae paratae sed frustratae sunt (C. I. G. 2691 c. e.). Primus Maussollus Mylasis Halicarnassum

transiit atque hanc urbem caput Cariae fecit[1]). (Vitruv. II 8, 11 cf. Diod. XVII 23). — Commemoratur deinde in bello ab Autophradate adversus Ariobarzanem gesto, in quo regiae classi praefuit[2]) (Xen. Ages. II 26 sq.). Maussolli ipsius a rege defectionem Diod. XV 90 anno 362 tribuit; anno 361 autem eum cum rege iam in gratiam rediisse suo iure Pohla p. 13 coniecit ex titulo (C. I. G. 2691 d) cf. Bergk, rhein. Mus. XXXVII 1882 p. 370, 2. — De Maussollo sociorum belli auctore et adiutore narrant Diod. XVI 7. Dem. or. XV 3 (Schaefer I p. 146 sq.); Maussollus ipse Rhodi arcem occupavit (Dem. or. XV 27) et quamquam Athenienses legatos hac de re ad eum miserunt (Dem. XXIV 12 c. Schol. cf. Schaefer. I p. 330. 428: anno 355) anno 346 Cares non solum Rhodi sed etiam Chii et Coi invenimus (Dem. V 25). — Omnino fines suos hi satrapae amplificaverunt; sic quo dolo ceperit Maussollus Latmum narrat Polyaen. VII 23, 2. Nummi Milesii cum Maussollum tum iam Hecatomnum Miletum quoque obtinuisse demonstrare videntur (cf. Brandis p. 328 cf. Polyaen. VI 8. Luc.diall. mort. 24), cum apud Lucianum Maussollus contendat se Lydiae partem, Ioniam usque ad Miletum, complures insulas obtinuisse (cf. Pohla p. 13 sq.). — Lyciam quoque eum habuisse docet Arist. oec. II p. 1348a 28 sqq. (cf. Isocr. IV 161. Droysen Hellen. I^2 p. 209, 1. Köhler, Urk. u. Unters. p. 120. 189 sq.). — De Maussolli et Erythraeorum necessitudinibus: Lebas, Voy. Archéol. III p. 21 Juergens p. 46. — De Maussolli moribus cf. Theop. ap. Harpocr.

---

[1]) Cum Callisthenes apud Strabon. 611 narret Maussollum sex Cariae urbes in unam Halicarnassum coniunxisse, Plin. n. h. V 29, 107 sex oppida Halicarnasso contributa esse ab Alexandro Magno tradit. Iam Starkius (Eos I p. 361) cognovit his duobus locis eiusdem rei mentionem fieri; quod eo facilius intelligitur, quia Callisthenes in Alexandri historia hoc tradidit, quare fieri potuit, ut Plinii auctor falso totam rem de Alexandro Magno nuntiaret. Neque vero primus Juergens. p. 39 hos duos scriptorum locos comparavit, qua in re Volquardsen. quoque erravit (Burs. Jahresb. 1879 III p. 85).

[2]) Quod bellum viros doctos annis 367—365 tribuisse cum supra commemoraverimus (cf. p. 69), Juergens. p. 42 sq. nescio qua de causa id magnam satraparum defectionem Maussollique ipsius, quam factam esse 362 existimat, secutum esse putat.

s. v. Polyaen. VII 23, 1. Arist. oec. p. 1348 a 4 sqq. 28 sqq. Pohla p. 21. 22. — Eius regia describitur ap. Vitruv. II 8, 11 sqq. Plin. n. h. XXXV 172. XXXVI 47. — De narratiunculis apud Philostr. vit. soph. p. 481 et Diog. Laert. VIII 87 (Sotione auctore) servatis cf. Juergens p. 47. Stark. p. 363. — Maussollo mortuo liberos non relinquenti (Diod. XVI 36, 2. Strabo p. 656) successit uxor sororque

4) Artemisia. Quae quomodo maritum fratremque mortuum honoraverit, narrant saepius scriptores (Gell. X 18. Suid. s. vv. *Θεοδέκτης. Ἰσοκράτης*, Plut. X oratt. Isocr. 20 Euseb. praep. ev. X 3, 5 sq. cf. Stark. p. 362, 48). De luctu Artemisiae narrant Cic. Tusc. III 31. Theop. ap. Harpocr. s. v. Val. Max. IV 6. Strabo p. 656. — Artemisia Maussolleum aedificare coepit secundum Plin. N. H. XXXVI 4, cum Maussollo ipsi hoc adscribant Eudocia p. 470 ed. Fl. et Phil. Byz. de spectac p. 144 ed. Or. Sententiae priori accedit Juergens. p. 49, posteriori Stark. p. 363 et Pohla p. 23 sq. — De bello Artemisiae contra Rhodum gesto complura legimus apud Vitruv. II 8, 14 sq.[1]).

5) Post Artemisiam regnavit Idrieus frater (Diod. XVI 45. Arr. I 23. Strabo p. 656) maritus Adae sororis (Strabo l. l.), qui iam sub Maussollo fratre dux belli fuit (Polyaen. VII 23, 2). Paulo postquam sororem secutus est, a rege *φίλος ὢν καὶ σύμμαχος Περσῶν ἐκ προγόνων* anno 351 bello contra Cyprum insulam gerendo praeficitur. (Diod. XVI 42). Deinde tamen cum Persarum rege ipso bellavit; etiam anno 346 rex ei insidias paravit (Isocr. V 103 sq.[2]) cf. Blass, Ber. II p. 287). Hoc in bello Idrieum captum et in vincula coniectum esse Juergens. p. 52 coniecit ex Androtionis fragmento (apud Arist. rhet. p. 1406 b. 26—29), ubi dicit *Ἰδριέα λυθέντα ἐκ τῶν δεσμῶν εἶναι χαλεπὸν — ὅμοιον τοῖς — κυνιδίοις*. Sed magis arridet putare talem tum iam fuisse Idrieum, cum An-

---

[1]) Artemisiam quoque Lygdamidis filiam Polyaen. VIII 53, 4 narrat Latmum cepisse (cf. VII 23) sine dubio per errorem.

[2]) Quo loco cum Isocrates dicat Persarum regem Idriei fratrem *αἰκίσασθαι*, quis sit intelligendus vix disceptari potest: cf. Stark. p. 361: Maussollus, Jürgens p. 52: Pixodarus).

drotion anno 355 in Cariam veniret (cf. Dem. Timocr.). Imperabat Idrieus quoque Rhodi Coi Chii. (Dem. V 25 cf. Pohla p. 17, 8). — De titulo C. I. G. 2919 iam supra pauca diximus. — De Idriei nummis cf. Brandis p. 475.

6) Successit ei mortuo Ada soror (Diod. XVI 69. Arr. I. 23. Strabo p. 656 etc.), quae post paucos annos regno depulsa est a fratre Pixodaro (Diod. XVI 74. 69. Arr. l. l. Strabo l. l.). Ada ipsa Alinda obtinuit (Arr. Strabo).

7) Regnavit igitur Pixodarus; qui quomodo se cum Philippo necessitudinibus coniungere voluerit narrat Plut. Alex. 10; quod ubi non impetravit πεϱσίσας μεταπέμπεται σατϱάπην ἐπὶ κοινωνίᾳ τῆς ἀϱχῆς Othontobatem, qui post mortem Pixodari soceri Cariae praefectus ab Alexandro Halicarnassi obsidione circumclusus est. (Strabo 657 cll. Arr. I 23). — De Pixodari nummis cf. Brandis p. 475 sq.

8) Othontobates (de cuius nomine cf. Droysen, Hell. I² p. 210, 2) iam Pixodaro vivente regni particceps fuit (Strabo p. 657). Halicarnasso ab Alexandro expugnata quas urbes tum habuerit dicit Arr. II 5, 7. — Ultima eius clades anno 333 accepta traditur apud Arr. II 5, 7.

9) Cariae satrapiam Alexander Adae reddidit (Arr. I 23. Strabo p. 657. Plut. Alex. 22), quae se suaque omnia Alexandro tradidit eumque ipsum adoptavit (Arr. l. l. Strabo l. l. Diod. XVII 24), ut iustus Cariae dominus factus sit (Pohla p. 18. Gelzer, d. Zeitalter des Gyges. Rhein. Mus. XXXV 1880 p. 517).

Restat ut horum dynastarum chronologiam, quae satis dubia est, quare complures virorum doctorum sententiae de ea extiterunt, hac tabula illustrem:

		Clinton	Jürgens	Schaefer Pohla
1. Hecatomnus	Diod.: 377	—	377/6	—377/6
2. Maussollus	Diod.: 353 Plin. n. h. XXXVI 30, 47: 351.	377/6 —	353/2	377/6-351/0
3. Artemisia	Diod.: 351.	353/2 —	351/0	351 — 350
4. Idrieus	Diod.: 344.	351/0 —	344/3	350 — 343
5. Ada	Diod.: 341.	344/3 —	340/39	343-340/39
6. Pixodarus	Diod.: 334.	340—335	340—334	339 — 334
7. Othontobates		335—334	334	334
8. Ada	Diod.: 334.	334 —	334 —	334 —

(Cf. Clinton p. 298—300. Jürgens p. 56—58. Pohla p. 27—29. Schaefer I 440. II 469, 1. Bergk, rh. Mus. XXXVII 1882 p. 364 sq.).

Cum igitur Cariae satraparum facinora brevissime exposuerim, sequitur ut ea afferam, quibus hos dynastas satrapas fuisse elucet. Ac primum quidem quin Hecatomnus eiusque liberi Persarum regi subiecti fuerint, nemini dubium est, cum in titulis eorum regis annus primo loco nominetur (C. I. G. 2691 c—e. 2919); Dem. XV 27 plane dicat *βασιλεὺς ὁ ἐκείνων* (sc. Maussolli et Artemisiae) *δεσπότης*; Isocr. V 103 sq. pecunias ab Idrieo regi quotannis solutas commemoret etc.

Difficilius est cognitu num vero satrapae fuerint. Itaque primum quonam titulo scriptores veteres illos significent videamus; hos igitur titulos plenius, quam Starkius p. 390 sq. et Juergens. p. 58 sq. fecerunt hic congerere liceat. Nominant eos *σατράπης*:

Plut. Alex. 10. — II argum. Dem. Timocr. — Gell. X 18: *σατράπην* Graeci vocant. — C. I. G. 2691 c—e *ἐξαιθραπεύοντος*. 2919: *ἐξσατραπεύοντος* (de formis cf. Boeckh.).

ἐπίσταθμος: Isocr. IV 162 (cf. Harpocr. s. v. ***Ἑκατόμνως***. *ὃς οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ κατὰ σατραπείαν **Καρίας** κύριος*). Bekker. anecd. p. 253: *οἱ ἄρχοντες καὶ σατράπαι κτλ.*

ὕπαρχος: Liban. argum. in Dem. Timocr.

δυνάστης: Diodori omnibus quantum scio locis et (cf. Diod. XV 2, XVII 24) praeterea Suid. Harpocr. s. v. ***Ἰδριεύς***.

ἄρχων: Harpocr. s. v. ***Μαύσωλλος***. Suid. cf. Arr. I 23.

τύραννος: Arist. oec. p. 1348 a 4. Eudocia p. 470 ed. Fl. (cf. Plass, d. Tyr. b. d. Griech. II² p. 92).

βασιλεύς: rex: regulus: sic omnes Romanorum scriptores; Vitruv. II 8, 10. Plin. n. h. XXXVI 4. Cic. Tusc. III 31. Mela I 16. Hygin. fab. CCXXIII. Val. Max. IV 6. Ext. 1. Porro Epigen. ap. Athen. p. 472 f. Strabo p. 656 sq. Plut. Alex. 22. Polyaen. VII 23. Luc. diall. mort. 24. Paus. VIII 16, 3. Suid. s. v. ***Ἰσοκράτης***. cf. Diod. XV 90, 3. XVII 23, 4.

Videmus igitur satrapae titulum apud scriptores nec in multis nec in gravibus testimoniis extare, ut eis nixis hos satrapas fuisse concludere vix liceret; contra multum valent inscriptiones illae, quare iam Boeckhius (C. I. G. II p. 470), ‚Hecatomnus, inquit, Maussollus, Artemisia et post eius obitum Hidrieus et Ada, etsi dynastarum et regum nomine vulgo decorantur, proprie et iure nihil fuerunt nisi satrapae, qui potestatem usurparunt paulo maiorem'. Atque mihi quoque his in inscriptionibus publicis, in quibus regis potestas plane agnoscitur, munus quod Maussollus et Idrieus obtinebant accurate significatum esse videtur, ut non dubium sit, quin revera regis satrapae fuerint. — Quomodo autem factum sit, ut apud scriptores saepius titulos *βασιλεύς*, *δυνάστης*, *ἄρχων*, *τύραννος* inveniamus, facile perspicitur; nonne enim apparet, eos quorum in familia dignitas hereditaria erat, qui sibi in regno succedebant neque a rege Persarum impediebantur, qui opibus suis omnibus aequalibus praestabant (Isocr. V 103) non tam satrapas quam reges esse videri? Quare ei verum intellexerunt, qui post Tissaphernis mortem Hecatomnum satrapae munus suscepisse contendunt (cf. Juergens. p. 59 cf. 35. Stark. p. 354 cf. 360. Droysen, Hell. I² p. 208). Iam Cyri minoris temporibus Cariam satrapiam fuisse frustra demonstrare student Nikolai p. 44, 19 et Droysen, Z. f. Num. II p. 311. Nam Xen. Cyrop. VIII 6, 7 nihil valet, cum viderimus Cariam post Cyri mortem Tissaphernem simul cum Ionia atque Cyri satrapia habuisse (Xen. Hell. III 2, 12. 4, 12); cum autem Tissaphernes tum haberet eas provincias *ὧν τε αὐτὸς πρόσθεν ἦρχε καὶ ὧν Κῦρος* (Xen. Hell. III 1, 3) cumque constet Cyrum in Caria non imperasse (Xen. Anab. I 9, 7), patet Cyro vivente Cariam simul cum Ionia Tissaphernis provinciam itaque Cariam unam satrapiam non fuisse. Elucet autem ex eis quae exposuimus non rectam esse Sieversii sententiam (p. 351, 14), cum vir doctus putaret ante Alexandrum nunquam suum satrapam habuisse Cariam (cf. p. 374).

Epimetrum:

de nonnullis locis auctorum graecorum ubi satraparum alter pro altero nominatus est.

Non mirum est quod in commemorandis nominibus persicis quippe Graecorum Romanorumque scriptoribus plurimis parum cognitis, quae aut priore aut posteriore nominis parte aut similia aut paria sunt, saepe veteres scriptores erraverunt. Quomodo satraparum quoque nomina complura fortunam adversam passa sunt. Iam supra igitur (p. 16) apud Oroetem Madvigii adnotatio ad Cic. de fin. V 30, 92 commemoranda erat, qua docemur, quam saepe nomina Oroetis et Orontis in scriptorum codicibus confusa sint. Quo in nomine cum disceptari vix possit, ubi librariorum ubi scriptoris ipsius error sit, non dubium esse potuit, cuius esset peccatum in alio exemplo quod e Diodoro iam protuli (p. 71), ubi Spithridates et Mithridates confusi erant. — De aliis locis accuratius nunc agendum est; pertinet autem huc primum Diod. XIV 79, ubi haec legimus: *Φάραξ δὲ ὁ τῶν Λακεδαιμονίων ναύαρχος ἀναχθεὶς ἐκ Ῥόδου ναυσὶν ἑκατὸν εἴκοσι κατέπλευσε τῆς Καρίας πρὸς Σάσανδα, φρούριον ἀπέχον τῆς Καύνου σταδίους ἑκατὸν πεντήκοντα· ἐκεῖθεν δὲ ὁρμώμενος ἐπολιόρκει τὴν Καῦνον καὶ Κόνωνα τὸν τοῦ μὲν βασιλικοῦ στόλου τὴν ἡγεμονίαν ἔχοντα, διατρίβοντα δὲ ἐν Καύνῳ μετὰ νεῶν τετταράκοντα. Ἀρταφέρνους δὲ καὶ Φαρναβάζου μετὰ πολλῆς δυνάμεως παραβοηθήσαντος τοῖς Καυνίοις, ὁ Φάραξ ἔλυσε τὴν πολιορκίαν καὶ μετὰ τοῦ στόλου παντὸς ἀπῆρεν εἰς Ῥόδον.* Sed priusquam ad id nomen, propter quod locum adscripsi, animum vertam, ante de nomine *Σάσανδα* pauca dicere liceat, quod nomen nec apud scriptorem ullum nec in inscriptionibus usquam legitur. Equidem igitur scribere velim pro *Σάσανδα*: *Πάσανδα*, quod praebent atticae tributorum tabulae (cf. Boeckh, Sthh. II² p. 718. Koehler, Urk. u. Unters. p. 191 sq.) et quod et ipsum Cauno vicinum esse videtur (Koehler l. l.) ut Diodori *Σάσανδα*. Nihil hic valent Stephani Byz. verba corrupta s. v. *Πᾶσσα* (cf. Meineke ad l. l. Boeckh l. l.). Unus nostrae coniecturae obstare videtur stadi-

asmi maris magni (geogr. min. I p. 495) locus: *ἀπὸ Πασάδης εἰς Καῦνον στάδιοι λ´*, cum Diodorus Sasanda a Cauno centum quinquaginta stadios abesse tradat. Sed praeterquam quod Diodori numerus falsus esse potest, duae aliae patent viae: aut enim duos huius nominis locos fuisse putabimus (quod alia de causa proposuerat Koehlerus), aut in stadiasmo nomen *Πάσαδα* corruptum esse e *Πάσσαλα* existimabimus (cf. Muelleri adnotationem).

Res autem illas de quibus agitur Diodori loco Diodorus ipse tribuit anno 396; de chronologia cf. Schmidt, Konon p. 41 sq. Beloch, rh. Mus. XXXIV p. 124. Artaphrenes igitur hic commemoratus praeter hunc locum nusquam occurrit nec apud Diodorum nec apud alium rerum scriptorem. Quo magis mirari licet, quod Diodorus eum nominat neque vero ullo vocabulo accuratius quis sit significat; si enim Diodori in his rebus usum observamus facile cognoscimus eum fere semper ubi nomen aliquod aut primum aut omnino semel profert, id aliquo attributo significare. Quod ut probem exempli causa vide locos, ubi viri huc spectantes primum nominantur et semper attributum saepe minime grave adicitur: Diod. XI 1, 3. 31, 3. XII 73, 1. XIII 36, 5. 70, 3. XIV 20, 2. 23, 7. 85, 4. XV 90, 3. 91, 2. XVI 42, 6. 47, 2. XVII 19, 4. Quod semper fere Diodorum facere solere, facile ex aliis exemplis cognosci potest. Sin autem nomen omnino semel commemorat, eandem consuetudinem eum praestare ea ex re intelliges, quod ex praemagno illo numero nominum huc pertinentium, quae littera A incipiunt nisi erro sex huic regulae obsistunt. Qua observatione nihil certi probari posse cum non ignorem, tamen res alicuius momenti sine dubio est. — Sed accedunt alia eaque graviora. Ubi enim supra Pharnabazi res gestas exposuimus, vidimus de una modo eius in Cariam expeditione nos ab optimo huius temporis auctore Xenophonte certiores fieri, qui Hell. III 2, 13 sq. ubi Pharnabazum cum Tissaphernis carani copiis suas copias coniunxisse, deinde ambos satrapas in Cariam profectos esse, narravit deinde sic pergit: *ἐπεὶ δὲ ἐκεῖ ἦσαν, ἔδοξεν αὐτοῖς ἱκανὰς φυλακὰς εἰς τὰ ἐρύματα καταστήσαντας διαβαίνειν πάλιν ἐπὶ τὴν Ἰωνίαν.* Quod factum est, si Breitenbachio assentimur

anno 397. Item hoc ipso tempore Pharax ille secundum Xenophontem in illis regionibus versabatur; dicit enim § 12: *οἱ ἔφοροι ἔπεμψαν πρὸς Δερκυλίδαν καὶ ἐκέλευον αὐτὸν διαβαίνειν σὺν τῷ στρατεύματι ἐπὶ Καρίαν καὶ Φάρακα τὸν ναύαρχον σὺν ταῖς ναυσὶ παραπλεῖν. οἱ μὲν δὴ ταῦτ' ἐποίουν.* Videmus igitur omnia optime convenire, ut putemus expeditionem a Diodoro et Xenophonte commemoratam esse eandem, temporis autem discrepantiam Diodori errore esse natam. Quae si concedis, dubium esse non potest, quin pro Artaphrene Tissaphernem nominari oportuerit, quae nomina per quem commutata sint disceptare non audeo; timeo autem ne Diodoro hic error opprobrio vertendus sit. Diodori autem loco Tissaphernem vocandum fuisse ea quoque re probatur, quod huius quippe Cariae satrapae erat provinciam ab hostibus vexatam defendere, Pharacem depellere.

Ceterum eadem nomina alias quoque confusa sunt; sic Trog. prol. II ‚post hanc fugam Graeciae bellum intulit per Datim et Tisafernem' legitur, ubi Artaphernem exspectamus. Eundem errorem invenis apud Ampelium XV 9. Syncell. p. 468, 2 (cf. A. v. Gutschmid, über die Fragm. d. Trog. Pomp. Jahrb. Suppl. II p. 190. Rühl, Textesqu. d. Iust. p. 131. Enmann, d. Quell. d. Trog. p. 30).

Cum Diodori loco, de quo supra disseruimus, artissime cohaeret alius scriptoris error, de quo equidem nequaquam dubito; apud Diog. Laert. II 79 enim legimus: *Ἀρίστιππος διατρίβων ἐν Ἀσίᾳ καὶ ληφθεὶς ὑπὸ Ἀρταφέρνου τοῦ σατράπου πρὸς τὸν εἰπόντα. „καὶ ὧδε θαῤῥεῖς“; „πότε γάρ, εἶπεν, ὦ μάταιε, θαῤῥήσαιμι ἂν μᾶλλον ἢ νῦν ὅτε μέλλω Ἀρταφέρνῃ διαλέξεσθαι;* Aristippi temporibus cum satrapa Artaphrenis nomine nobis non notus sit, iam Menzius (Aristippus philos. Halae 1719 p. 17 sq.) de Artaphrene a Diodoro l. l. nominato cogitavit et quando res a Diogene narrata facta sit, certe definire conatus est. Sed hac de re accuratius disputare non est meum, cum iam Steinius (de philos. Cyren. Goett. 1855 p. 55, 1) ea attulerit, quae Menzii sententiae obstant; unum accedit, quod de Artaphrenis illius in Rhodum insulam expeditione Diodorus ne unum quidem verbum dicit. Quod igitur Steinius totam Menzii sententiam nondum reicere ausus est, nos qui Diodori

loco nihil probari posse vidimus, in huius Artaphrenis commemoratione haeremus. At nisi fallor Diogenes ipse nobis demonstrat, quomodo hoc nomen non corrigendum sed intelligendum sit. Nam cum apud Diog. Laert. in Aristippi vita duos huius philosophi librorum indices legamus, non solum a Diogene sed etiam Sotione et Panaetio Aristippi liber — § 84 dialogus appellatur — nominatur, qui *Ἀρτάβαζος* inscribitur. Quo titulo commotus Steinius l. l., quem deinde secutus est Mullachius frgm. philos. II p. 399 putavit, cum Aristippus in Asia versans ab Artaphrene captus sit, eum etiam cum Artabazo convenisse. Equidem non dubito, quin omnia multo melius quadrent, si existimamus in § 79 esse per errorem Artaphrenem pro Artabazo nominatum; quod si putamus et Artaphrenem illum ignotum tollimus, et intelligimus quomodo factum sit, ut Aristippus hoc nomen libro sive dialogo suo daret: nam si revera cum praeclaro satrapa illo modo convenit et disseruit, num mirum esse potest, quod huius rei monumentum in scriptis suis reliquit?

Artabazi autem et Artaphrenis nomina praeterea quoque permutata esse ut videamus peropportunum se nobis offert schol. ad Ar. equ. 781 ubi legimus: *ἐν Μαραθῶνι: Τόπος τῆς Ἀττικῆς, εἰς ὃν ἐνώρμησαν Δᾶτις καὶ Ἀρτάβαζος Μηδικοὶ σατράπαι, πεμφθέντες ὑπὸ Δαρείου βασιλέως καταδουλώσασθαι τὴν Ἑλλάδα*; quae eadem verba praebet Suid. s. v. *διεξιφίσω* (cum rectum nomen legamus apud Suid. s. v. *Δᾶτις* et s. v. *πανσελήνῳ*.

Similis error vereor ne sit alio loco, ubi Tiribazi nomen legimus; narrat enim Polyaen. I 40, 8, quomodo aliquando Alcibiades Tiribazum effugerit. Cum vero Alcibiadis temporibus Tiribazus, quocum Alcibiades convenerit, non commemoretur, fortasse falso hoc nomen pro alio, nescio an Pharnabazi positum est. Rem alias notam, quo Polyaeni locus spectet, nec Hertzberg. Alcib. p. 338, 24b nec ipse invenio.

Pertractavi tales confusiones, quarum nominum similitudo sine dubio causa fuit, sed sunt aliae quoque, ubi non tam nomina quam homines ipsi confusi sunt. Huc pertinent cum ea, quae supra de duobus Diodori locis, de nominibus Artabazi et Autophradatis (cf. p. 68. 69.) et de Rhoesace et

Spithridate (cf. p. 70.) dixi, tum quam nondum commemoravi notissima illa confusio rerum a Tissapherne et Pharnabazo gestarum.

Diodorus igitur res post cladem Atheniensium Siculam ab Atheniensibus et Lacedaemoniis in Asia minore gestas narrans, iterum atque iterum Tissaphernis facinora Pharnabazo tribuit, ita ut Tissaphernis nomen ante pugnam Cunaxensem apud eum omnino non legatur (cf. Breitenbach. in Xen. Hell. praef. p. LXXIV). Loci autem sunt hi: Diod. XIII 36, 5 (cf. Thuc. VIII 29. 46). 37, 4 sq. (cf. Thuc. VIII 45; vide Diod. XIII 41, 4. 42, 4: Thuc. VIII 108 sq.). 38, 4 sq. 46, 6 (cuius loci verba partim ad Tissaphernem pertinent cf. Thuc. VIII 109, partim ad Pharnabazum, cf. Xen. Hell. I 1, 1 sqq.); XIV 39, 6 (cf. Xen. Hell. III 2, 20).

Quaeritur igitur nunc utrum Diodoro ipsi hunc errorem opprobrio vertamus an fonti, ex quo hanc bibliothecae partem hausit i. e. Ephoro. Volquardsen. igitur (d. Quell. Diod.'s p. 127 n.) et Fricke (Unters. üb. d. Quell. d. Plut. i. Nic. u. Alc. Leipz. 1869 p. 68) negaverunt ullius alius scriptoris nisi Diodori hoc peccatum esse. Viris autem doctissimis assentiri nequeo, cum ni fallor semel iam Ephorum ipsum errasse demonstrari possit. Legitur enim apud Diod. XIV 22, ubi Cyri expeditionis initium narratur: *Ὁ δὲ βασιλεὺς Ἀρταξέρξης καὶ πάλαι μὲν ἦν παρὰ Φαρναβάζου πεπυσμένος ὅτι στρατόπεδον ἐπ' αὐτὸν ἀθροίζει λάθρᾳ Κῦρος.* Pharnabazum igitur primum Persarum regem de Cyri consiliis certiorem fecisse non solum Diodorum putasse sed Ephorum iam tradidisse, discimus ex Ephori fragmento apud Diodorum ipsum servato (XIV 11), ubi miram illam de Alcibiadis caedis causis narrationem legimus: *τὸν δὲ Φαρνάβαζον ἀκούσαντα τῶν λόγων σφετερίσασθαι τὴν ἀπαγγελίαν καὶ πέμψαι πιστοὺς ἄνδρας ὑπὲρ τούτων τῷ βασιλεῖ δηλώσοντας*; quo loco Diodorum non confudisse nomina ex Alcibiadis caedis narratione elucet. Quem primum nuntium regem non a Pharnabazo accepisse satis constat Xenophontis (An. I 2, 4) atque Plutarchi (Artax. 6) testimoniis, qui scriptores tradunt Tissaphernem ad aulam regiam properasse ibique Cyri consilia detexisse. Quod Diodorus alio loco (XIV 80) ipse

sentire videtur, cum dicat: *εἶχε γὰρ αὕτη (Παρύσατις) διαφόρως πρὸς αὐτὸν* (i. e. Tissaphernem) *ἐκ τοῦ διαβεβληκέναι τὸν υἱὸν αὐτῆς Κῦρον, ὅτε τὴν ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν στρατείαν ἐποιεῖτο.* Quare constat iam Ephorum facinus, quod quin sit Tissaphernis dubitari non potest, Pharnabazo tribuisse itaque iam apud Ephorum horum satraparum res non recte secretas fuisse. Si autem semel sine dubio apud Ephorum Pharnabazus pro Tissapherne nominatus est, quis est, qui certe neget aliis quoque locis, ubi apud Diodorum falso Pharnabazi nomen invenimus iam apud Ephorum eum nominatum, fortasse apud hunc quoque Tissaphernis in pugna Cunaxensi primam mentionem factam fuisse? Equidem non video cur hoc putare nobis non liceat, cum Frickii argumentum quod affert mihi magni momenti non videatur esse. Negavit enim hunc errorem a Diodoro aut ex Ephori aut Theopompi opere translatum esse, quia nec apud Nepotem nec Plutarchum nec Iustinum eadem satraparum confusio inveniretur. Quod argumentum patet tum modo aliquid valere, ubi satis demonstratum est ab his auctoribus in historiae partibus huc spectantibus Ephorum adhibitum esse; hoc autem nondum satis constare ea ex re intelligimus, quod de unoquoque auctore adhuc diversae sententiae extant. Quare fortasse hic ipse error demonstrare potest, ubi Ephoro auctores non usi sint. Sed haec quaestio vix certe diiudicari poterit; id demonstrasse sufficiat mihi semel Diodorum ex Ephoro falsum nomen sumpsisse neque usque ad id tempus, quantum video quidquam allatum esse, quare nos impediamur, ne putemus de Pharnabazo et Tissapherne Ephorum idem tradidisse quod legimus apud Diodorum. Fortasse id quoque commemoratione dignum est, quod etiam post pugnam Cunaxensem semel apud Diod. XIV 39, 6 non Tissaphernes sed Pharnabazus superior esse videtur (cf. Xen. Hell. III 2, 20).

Denique praetermittere nolo quod praeter locum modo laudatum eosque locos, quos certe ad Ephorum referre potuimus, omnes alii, ubi Pharnabazus pro Tissapherne legitur, id commune habent, quod semper his locis Phoenicum naves, quas Graeci exspectant commemorantur, itaque si semel satrapa falso nominatus erat, facile error repeti potuit.

Nullus quantum scio praeter Diodorum est locus, ubi certe hi duo satrapae commutati sint; unum quadam probabilitate huc refero. Nam cum Ael. v. h. IV 15 verba faciat de quibusdam, qui in morbo musicam et alia didicerunt, hoc loco dicit: *τίς δὲ οὐκ ἂν νοῦν ἔχων συνηύξατο καὶ Ἀλκιβιάδῃ νόσον καὶ Κριτίᾳ; . . . ἵνα μὴ ἀποδράντες Σωκράτους ὁ μὲν ὑβριστὴς γένηται καὶ ποτὲ μὲν φιλολάκων, ποτὲ δὲ βοιωτιάζῃ τὸν τρόπον καὶ αὖ πάλιν θετταλίζῃ καὶ τοῖς Μήδων καὶ Περσῶν ἀρέσκηται ἐν Φαρναβάζου γενόμενος.* Constat quidem Alcibiadem aliquando paulo ante mortem suam apud Pharnabazum fuisse (Nep. Alc. 9. Plut. Alc. 37), quare cum veritate Aeliani verba non certant; multo notior autem sine dubio Alcibiadis apud Tissaphernem commoratio fuit, cuius Nep. Alc. V 3. Iustin. V 2 mentionem faciunt, de qua imprimis Plutarchus (Alc. 24) plura narrat, quae mihi hic Aeliano in mente fuisse videntur.

Fortasse igitur hic locus iuxta Diodorum memorabilis est.

Sardes.	Dascylium.	Cilicia.
1. Oroetes. — 529 — ca. 521	1. Mitrobates — 522/1.	
	2. Oroetes ca. 521.	
2. Bagaeus ca. 521 —	3. Bagaeus ca. 521 —	
3. Artaphrenes I. ca. 511—493.	4. Otanes ca. 511—497 —	1. Syennesis II ca. 500.
	5. Oebares — 493.	
4. Mardonius 492 —	6. Mardonius 492 —	
5. Artaphrenes II — 480 —	7. Hydarnes — ca. 484 —	2. Syennesis III —480.
Ionia: { ? Ariabignes — 480 — / Tigranes 479.	8. Megabates — ca. 476.	3. Xenagoras 479 —
6. Pissuthnes. -440-424(-ca. 414?)	9. Artabazus I ca. 476—474 —	
7. Tissaphernes. — 413 — 408.	10. Pharnaces — 430 — ca. 414.	
8. Cyrus 408—401.		
Ionia: Tissaphernes.		
9. Tissaphernes 401—395.	} 11. Pharnabazus ca. 414 — 390 (— 387?)	4. Syennesis IV — 401 —
10. Tithraustes 395 —		
11. Tiribazus — 392.		
12. Struthas 392. 391 —		
13. Tiribazus (388?) 387 — { 385? / 380?	12. Ariobarzanes — 387 — ca. 365.	
14. Autophradates — 362 —		
15. Rhoesaces — 351 —	13. Artabazus II — 360—353 —	5. Mazaeus — 351 —
16. Spithridates — 334 —	14. Arsites — 340—334.	6. Arsames — 334. 333.

Vita.

Natus sum Paulus Krumbholz Vimariae prid. non. Aug. a. 1861 patre Ferdinando matre Anna e gente Horn quos adhuc in vivis esse summopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum rudimentis imbutus a. 1870 tempore paschali in gymnasium Guilelmo-Ernestinum Vimariense receptus sum quod floruit Hermanno Rassowio rectore. Cuius scholae discipulus fui novem per annos, cum a. 1879 testimonium maturitatis adeptus sim. Deinde militis officio domi functus a. 1880 Tubingam profectus sum, ubi philologiae et historiae studiis operam darem. Adii autem Tubingae scholas virorum illustrissimorum Flachii Geldneri Gutschmidii Pflugk-Harttungii Rohdii Schwabii Sigwartii; frequentavi quattuor per semestria exercitationes et seminarii regii philologi Rohdio et Schwabio magistris et seminarii historici, cui praeerat Gutschmidius. Post quater sex menses hinc Lipsiam me contuli, ubi adhuc viros illustrissimos Bahderum Ecksteinium Heinzium Langium Lipsium Ribbeckium Voigtium Wenckium Wundtium Zarnckium prodocentes audivi; duo per semestria sodalis fui ordinarius seminarii philologi, cui praesunt viri clarissimi Curtius Langius Ribbeckius; praeterea interfui exercitationibus societatum antiquariarum Langii et Lipsii, societatis philologae Ribbeckianae, seminarii regii paedagogi, seminarii regii germanici.

Omnibus magistris meis gratias ago semperque habebo quam maximas; imprimis autem gratus animus testificandus est huius commentationis auctori studia mea omni benignitate prosecuto nec non Eduardo Meyer Lipsiensi, qui nonnulla liberaliter mecum communicavit, quae in hac opella magno mihi usui fuerunt.